



# Disputatio philosophica inauguralis de religione

<https://hdl.handle.net/1874/342427>

7.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**RELIGIONE,**  
*QUAM,*  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**JOANNIS GEORGII GRAEVII,**  
Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Subtilissima Facultatis*  
*PHILOSOPHICÆ decreto,*  
PRO DOCTORATUS in PHILOSOPHIA GRADU & ARTIUM  
LIBERALIUM MAGISTERIO, omnibusque prærogativis  
ritè ac legitime consequendis,  
*Publice quorumvis Philosophantium exponit censura*  
**JACOBUS DE VRIES, ULTRAJECT.**  
*Ad diem 3. JUNII, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lōc xc.

VERÆ ET LIBERÆ  
PHILOSOPHIÆ  
AMATORIBUS  
OMNIBUS.

*Theses hęc suas inaugurales  
sacras vult*

JACOBUS DE VRIES,  
*Auctor.*



DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
RELIGIONE.

THESIS I.



Olidâ fatis absque basi gravia , vastoque sub pondere gementia nulla vel momento temporis consistere posse , animo maturum neminem fore qui ambigat , mihi persuadeo. Parili modo & unumquodque ædificium , quò validioribus magisque sufficientibus innitatur fulcris ac columnis , eò magis ætatem ferre aptum , atque difficilius ruinam minaturum fore , videre est.

Haud absimili fanè , quem in naturâ corporeâ habemus obvium , potentiæ defectu , collabendiquè protinus pronitate , sibi si relinquatur , quævis in terris respubl. laborat. Fundamen quippe , illudquè humanum omne longè superans , ne præceps agatur , exposcit ingens ejusmodi atque vasta tot ingenii indolisquè adeò diversæ hominum , in unam societatum religatorum , moles. Mirum icireò in modum ad æternitatem reipubl. promittentia excogitanda fundamenta sese excruciare jam longis abhinc seculis , ut & etiamnum hodiè torquent Politicorum filii. Hanc in

rem infinita fermè illi tradere : docent isti , quibus principi , seu summo cuicumque magistratui , ad majestatem omniaque sua tuenda utendum sit artibus : machinandis contrà arcanis , quibus subjecti libertatem suam & ad se pertinentia cuncta in tuto locent , non mediocriter incumbentes ipsos videas : quam domi , respectu Magistratum , opum , legum , pœnarum aliarumque plurimarum reipubl. faciem esse oporteat , nitidè delineant : quam tam belli quam pacis , tam pangendorum , quam rescindendorum fœderum rationem habere benè constitutam deceat rempubl. anxie inculcant. Cuncta hæc atque hujus generis innumera alia passim tanquam reipubl. ænea circumferunt , & obtrudunt fundamenta. Nec equidem saluberrima omnia atque cuivis reipub. salutifera esse illa monita , qui in rebus politicis non hospes planè est habendus , inficias iverit ullus ; verum enim verò hæc tamen omnia tantis per se insignia esse viribus , ut reipubl. universæ moli sustentandæ sufficiant , haudquaquam sentio. Aliud namque hisce omnibus longè majus , & à quo illa vim suam & robur mutuant omne , assignandum utique est ad structuram tantæ perferendum molis. Illud autem unicum *Religionem* solam summo jure existimaverim ego.

## I I.

(a) Contra  
Colot.

Veritatem hujus meæ assertionis , non est , quod hic in ipso limine multis gravium Christianorum auctorum confirmem testimoniis , quandoquidem hanc nec ipsos latuisse gentiles , præter sexcentos alios , luculenter sic satis nobis pandit scriptor , haud ex veteribus infimus , *Plutarchus* : (a) *ἀλλὰ πόλις ἂν μοι δοκεῖ μάλλον εἶδ' ἄφ' ἑωραῖς , ἢ πολιτεία ἢ πρὸς Θεῶν δόξης ἀναπερθεῖσθαι πατήρπασιν ὡς ἄστυ λαβεῖν ἢ λαβεῖσα τηρεῖσθαι* : at *mibi urbs citius videtur sine solo , quam respública sine opinione de Diis (DEO) aut constitui aut constituta servari* : unde & idem *Religionem συνελκὸν ἀπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἐπέκεινα* : *vinculum seu coagulum omnis societatis & justitiæ firmamentum* nuncupat. Cum itaque Politicorum omnibus quantumvis sagacibus , quantumvis industriis , quantumvis callidis inventis atque commentis excellentior longe sit , magisque efficax una *Religio* ; cumque eadem , haud ritè locata sensibilia valdè reip. insiget vulnera , benè

nè verò composita iidem ingentia crebraque importet commoda, *Religionis*, utpotè ad civilem relativæ societatem, præcipua non nulla, eaque quantum fieri potest paucissimis, pro ingenioli mei modulo, mentisque imbecillitate impræsentiarum pertractare, haud abs re planè fore crediderim.

## I I I.

Utpote tantum ad Rempubl. non ulterius, respectum dicente, de *Religione* me verba facturum in antecessum hic præmonuisse, perquam necesse duco, triplici quandoquidem modo ipsa fere considerari valet. *Primo* scil. sese contemplationi nostræ ingerere potest *Religio* tanquam ab ipso *Deo ter Opt. Max.* nobis ad sui gloriam, nostrarumque per *Dom. Jesum Christum* æternam animarum salutem revelata; Theologisque qua talibus, solis enucleanda. *Secundo* spectandam sese eadem quoque offert, in quantum ex superstitibus adhuc exilibus naturæ luminis scintillis eruitur saltem eo usque, ut revelationis destitutos gratiâ inexcusabiles reddat: hocque modo ipsam Philosophi, *Theologiam* explanantes naturalem, intuentur. *Tertio* denique lustrari potest *Religio*, quatenus in societati civili, rebusque ad societatem spectantibus omnibus specialibus gaudet effectibus, atque ità reipubl. partibus applicari potest debetque: & hacce ratione quoque Philosophis, sed politicam exponentibus tantum prudentiam, pandenda eadem incumbit. Missis vero duabus prioribus *Religionis* significationibus solam tertiam contemplationem, hujus nostri exercitii inauguralis adoptare objectum in animum induximus nostrum. Vocis *Religionis*, quod spectat etymologiam, illam diversi diversam statuunt. *Cicero* illam a relegendo sibi nomen vendicasse autumat: (b) *qui, inquit, omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & quasi relegerent, sunt dicti religiosi a relegendo.* *Lactantio* contrà aliisque plurimis, haud malè meo quidem iudiciò, a religando suam hanc sortitam fuisse denominationem, urgere placuit: hinc fert ille scriptor: (c) *diximus nomen Religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religaverit, & pietate constrinxerit: quia servire nos ei ut domino, & obsequi ut patri necesse est &c.* Verum de nomine minus

(b) lib. 1.  
de natur.  
Deor.

(c) Lact.  
lib. 4. de  
Instit. Di-  
vin. Cap.  
28.

## 6 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

sollicitus, vocis uberiolem inquisitionem Grammaticis trado, atque rem ipsam, ne in substantiæ cortice tantum nimis diu hærerem videar, aggredi fatius multo fore mihi persuadeo.

### I V.

Ne autem, de re ignota verba fundentes, oleum & operam insequentibus perdamus, paucis primo omnium, quid per *Religionem* intellectum velimus, hic sese excutiendum præbet. Notamus itaque aliud nihil per *Religionem*, quam *verum & genuinum de DEO, utpotè summo Rege, & Domino independente, ejusquæ cultu sensum*. Involvit ergò primò omnis *Religio* de Deo saltem *sensum*, undè hic Atheos, omnesque Deitatem abnegantes, sub quibus (cheu nimis multis) *Europa* hodie gemit *Religione* exclusos esse liquet. Sed nec qualemcunque sensum ad primam *Religionis* partem fundandam sufficere innuimus satis, verum atque genuinum eum esse oportere asserentes. Verissimum quippè & certissimum est, quod inquit poëta (d)

(d) Silius 4.

*Prima scelerum mortalibus agris  
Naturam nescire Deum. (Dei)*

Sed & ulterius progressi summum regem diximus agnoscendum numen; quod talem confiteri non dubitaverit sanæ mentis ullus, qui modo solius benigno *Dei* favore & gratiâ unicâ omnes, quotquot in terrarum orbis ambitu reperiuntur, Reges & Monarchæ imperii sui sceptrâ vibrare, perspectum habet. (e) *Per me* (inquit *Deus*) *reges regnant, & principes judicant terram. Independentem quoque Dominus* haud minori exclamandus est ille jure, qui Regum non tantum, sed & mortalium omnium moderatur gressus: qui non modo

(e) Prov.  
Salom. cap.  
8. vers. 15.

(f) Horat.  
Odar. 3.

*(f) Terram inertem, qui mare temperat.  
Ventosum, & urbes, regnaque tristia,*

(g) Confol.  
Philosoph.  
lib. 4.

Sed & coelestia pariter cuncta potenti suâ manu regit atque gubernat: imò verò à cujus nutu, omnia, quæ creata sunt pendent unico. Elegantissimè profecto de hoc eodem differentem cernimus Boëtium: (g)

*Sed*

*Sed & interea conditor altus,  
Rerumque regens flectit habenas,  
Rex & dominus, fons & origo,  
Lex & sequens arbiter aequi,  
Et qua motu concitat ire,  
Sistit retrahens, ac vaga firmat.*

## V.

Secundum, quod *Religionem* involvere asseruimus, erat *Dei Cultus*. Atque hunc ab omni *Religione* inseparabilem esse, quæ modo dicta sunt, abundè conficiunt. Quis enim mortali-um, cujus mentis oculi non plane excæcati sunt ad summo suo Regi Dominoquè independenti, cujus cuncta subsunt imperio, perfectam observantiam, honoremquè justum deferendum, sese non cernat quam maximè naturà suà obstrictum? confirmationem hujus veritatis suppeditat nobis eloquentiæ pater, inquam: (h) *omnes Religione moventur, & Deos patrios, quos à majoribus acceperant, colendos sibi diligenter, & retinendos arbitrantur*. Verum enim vero, quemadmodum non quoscunque, sed tantum *Deo* dignos conceptus in mente suâ de numine fovere oportere diximus hominem, ità nec hunc cultum religiosum esse debere, Palladem ex hominum cerebello progenitam, verum *Deo* ejusquè perfectionibus respondentem, indigitamus, illum verum & genuinum definientes.

(h) Cicero.  
5. in Verr.

## VI.

Ità de *Religionis* naturà non nulla præfati, ipsas, quas de eadem movere consueverunt Politici, præcipuas lustremus quæstiones. Primò & præcipuè, num sacrorum professio utilis & necessario sit benè constitutæ reipubl. sedulo scrutantes ipsos videmus. Nobilissima quandoquidem pariter & haud exigui momenti sit hujus rei discussio, quantum fieri potè est, distinctè hac in parte procedendum puto. Metam itaque, quam intendimus, ut tangamus, duplici viâ hic insistere forsan non pæniterit: primò ipsam societatem civilem in abstracto & secundum



cundum se, secundo membra sive principales partes, ad rempubl. constituendam concurrentes distinctius nonnihil animovolvendo. Priori modo si spectemus rempubl. (seu *Monarchia*; seu *Polyarchia* fuerit illa) vim ejusdem præcipuam, animamquè totam sitam esse in pacto illo, inter supremum magistratum & subjectos tunc temporis, quo vitales haurire primum incipit civitas auras, innito, neminem, qui vel primis labiis politicam gustaverit, fugere potest. Quandoquidem enim (i) *nullum animal morosius rectorem ferat, quam quod cetera domat, atque hinc (l) omnibus animalibus facilius sit, quam hominibus imperitate*; & tamen ob multiplicia incommoda, miseriaeque prope modum infinitas, quæ civilis societatis expertem indivisim concomitantur statum, maximæ partis primævæ suæ libertatis, quam tanti, quanti ipsam ferme vitam faciunt mortales, jacturam pati, eamquè imperantium subjicere arbitrio, necesse habent omnes, simul ac subditi audire incipiunt: cum que & ab altera parte hominibus imperare dulce sit, imperantiumque libido plerumque ullis suæ extensionis coerceri nesciat terminis, verum plus ultrà semper tendat; hinc profecto, ut & obsequii in populo promptitudo, & imperii in imperantibus obtineatur & stabiliatur æquitas, diligenter pacto aliquo prospiciendum fuit: quo subditi sese faciles & ad magistratui justa deferenda obsequia semper pronos fore, magistratus contra sese perpetuè ex æquo bonoque reipubl. salutem in omnibus suis actionibus intenturos, ut & (quod in principatu, solo non vero in dominatu obtinet) nunquam in casus à populo sibimet reservatos, qui sub privilegiorum nomine passim occurrunt, dominium affectaturos, vel quidpiam contra illos esse molituros pollicentur & promittunt.

(i) Senec.  
i. de Clem.

(l) Xenoph. i.  
Præc.

## VII.

Verum enim vero pactum hoc inefficax plane & inerme esse, nisi quid iidem superaccedat, quod illud ipsum sanctum & inviolabile esse jubeat, depravata hominumque adulterina natura clamat. Ità quippè cum ingenio humano ferè comparatum esse, ut promissis suis ac pactis stare ulterius nesciant homines,  
(modo

(modo cogentis vis externæ metu non compulsi) quam eadem ex re sua esse animadvertunt, sæpe numero comperimus. Ne itaque ad instar aliorum pactum illud politicum invadi facile aut ab utraque parte expugnari possit, valido propugnaculo, valloque sancto illud coronari consuevit. Jurejurando enim utraque pars pactum hoc solenniter confirmat; quo tam accipientes, quam deferentes imperii habenas, religiosè *Deum* invocant inniti hujus pacti testem, ejusque vindictam fulminaque in illos imprecantur, qui temerati fœderis primi comperiantur rei. Maximoperè itaque Reipubl. pacta, & præsertim quidem hoc speciale, firma & inviolabilia esse interest (m) *infirmatis enim violatisque pactis tollitur inter homines commerciorum usus.* Et sanè quæ foret reipubl. facies, ubi tam imperantes quam parentes pactum hoc flocci pendentes, quod sibi visum est, nullâ sui habitâ ratione officii, perpetrare non verentur? Jam vero quoniam omnis pacti sanctitas & observantia solo atque unico jurejurando obtineri valeat; jusjurandum autem absque *Religione* non nisi nomen inane & ridiculum sit, reipubl. apprimè utilem esse *Religionem*, quis mortalium haud fateatur? A *Religione* autem jusjurandum vim suam & efficaciam mutuare omnem mentis compos in dubium vocaverit nullus. (n) *Frustra quippe jurejurando quis adigitur per Deum, quem non credit adeoque nec metuit.* Talis autem omnis homo *Religionem* respuens censendus est. De illo enim (quod *Religione* nostra patefacit definitio) verè dici potest quod nec credat, nec metuat *Deum*. Et quo pacto fodes, quis metu iræ vindictæque entis cujusdam imaginarii, qua propter nec ulciscendi animo, nec puniendi perjurii potentiâ præditi, ad jusjurandum sanctè observandum eique religiosè obtemperandum compelleretur? Nemo mortalium profectò, cujus justo de Deo sensu non imbutum est per *Religionem* pectus! illa unica non in solo cerebello locum habens quidpiam esse *Deum*, sedens verè & quidem necessariò existens adstruit: ista *Deum* illum vere existentem res humanas non curare, & in intermundiis curis omnibus circa genus humanum seclusis, otiosum expatiari (quæ impia ipsâque absurditate absurdior *Epicureorum* fuit quondam sententia) nequaquam docet, sed contrà actionum omnium humanorum tam-

(m) Arist. Rethor. à Theod. 1. cap. 15.

(n) Puffend. de Offic. Hom. lib. 1. cap. 11.

immanentium quam transeuntium, inspectorem omniscium, boni omnis remuneratorem benignum, maliquè cujusvis vindicem acerrimum esse anxie valdè & ferè inculcat.

## VIII.

Ita generatim *Religionem* in republ. optandam esse satis vidimus: jam quoquè partes societatem civilem constituentes lustrandæ restant. Duas esse civilis imperii, quibus potissimum illud absolvitur, partes principales, antecedentia omnia abundè innunt: Principem scil. (cujus nomine non tantum strictè unam personam, verum latius quemvis Magistratum, in quo Personalis residet majestas, denotatum volumus) & subjectos. Principis personæ num Sancta Numinis veneratio conveniat, atquè ex eadem in republ. aliquid redundet emolumenti, hujus ævi acerrimè disputant Politici? non decere bonum Principem pietate, *Religioneque* verâ imbutum esse verbis disertissimis inculcat, (& utinam non plures, hæcce vestigia prementes orbis Politicus hodiè videret) monstrum illud hominis *Machiavellicus*; cujus non nulla, quo hic recenseam, digna judico. (o) *In id itaque princeps acrem curam, diligentiamque omnem adhibeat, ne quid ex ejus ore excidat, quod quinque illis jam numeratis partibus non sit refertum, (quæ omnes ad id solum ut Princeps sese dextrè dirum populi sui impostorem agat compositæ sunt) atque ita se conspiciendum audiendumque exhibeat, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, Religionem sanctè colere videatur. Atque nihil est, quod magis præ se ferre oporteat, quam postremam hanc virtutem: fere omnes homines magis specie & colore rerum, quam rebus ipsis per moventur, & judicant. Nam videndi facultas omnes attingit, atrectandi vero paucos duntaxat: nemo non videt, quid præ te ferat: at pauci sunt qui quid sis sensu percipiant. O impia nimis, applausum nihilominus apud quosdam Principes merentia, monita! tune, *Itale*, *Religionem* cæterasque virtutes omnes non verè induendas, sed tantum simulandas Principi præcipias? tune, *Nicolæ*, republ. tam contagiosa peste macules eique lethalem adeo gangrenam infliges? absint hæc omnia longissimè ab omnibus illis, qui *Deitatem* esse credunt ullam:*

IX. Sed,

## IX.

Sed, missâ perniciosissimâ, structuramquè reipubl. planè convellente hâc sententiâ, nos omnino veræ Religionis cultui addictum esse oportere Principem, talemque societati civili summoperè prodesse, pronunciamus. Docet namquè melior Religio Principem sese non fortuito casu, sed solo divino favore & gratiâ, acceptum, possidere imperium: imo vero ulterius, non despotico, sed delegato tantum, cujusque administrationis, peracto suæ vitæ curriculo, rationem reddere tenebitur, Principem omnem gaudere regno, abundè sacrorum adstruit professio. (p) *Benedictus* (inquit *Salomoni Regina*) sit (p) 2 Chr. cap. 9. vers. 8. *Jehova Deus tuus, qui delectatus est te, ut collocaret te in solio suo regem pro Jehova tuo; eo, quod diligit Deus tuus Israël, quem statuat in seculum, ideo imposuit te illis Regem, ut exerceres judicium & justitiam.* Atque hinc scitè non minus quam eleganter dixit ille (q) *Reges Regis Regum vasalli sunt, per gladium regie auctoritatis insigniti, investiti, ut eo gladio legem divinam tueantur, bonos protegant, malos perdant, non secus ac per ensam, scutum, vexillum vasallos à domino superiori feudo investiri videmus, ea lege ut ei usdem armis, quandocunquè opus fuerit, militent, &c.* (q) Jun. Brut. in vindic. contra Tyrann.

## X.

Horum omnium similiumque aliorum itaque quoniam immotam & altam principis animo ingenerat persuasione *Religio*, quis, amabo, felicissimam & beatissimam esse reipubl. cui debitæ numinis observantiæ deditus contingit Princeps, exclamare necesse non habet? ille namque sibi conscius, suoque animo, quem in finem a Deo populo præfectus sit, fatis convictus, non poterit non esse in actionibus suis omnibus justus admodum & circumspectus, ut cuncta ad summi sui Domini nutum & voluntatem componens & moderans, tandem pro benè administrato imperio præmia expectet benigna; & ne, injusta & a divina mente imperans aliena, pœnas luat justissimas. In eo demum Principe perfectè illud Vatis quadraret consilium:

B 2

(r) T<sub>16</sub>

(r) Claud.  
ad Honor.(r) *Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,  
Non tibi nec tua te moveant, sed publica damna.*(s) Senec.  
conf. ad  
Polyb.illius certè Rectoris (s) *vigilantia omnium summos defendet, omnium  
otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem  
illius occupatio.*

## X I.

Sed quid hic multis moror? nonne fons unicus, fcaturigoque  
omnis masculæ virtutis solitaria Religio salutanda? non quibus-  
vis præ cæteris omnibus Principem quoque excellere virtutibus  
reipubl. salus desiderat? omni procul dubio! nam

(t) Senec.  
Thyest.(t) ——— *Ubi non est pudor,  
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,  
Instabile regnum est.*

& fane (ut unâ alterâve veritatem hanc confirmem instantiâ)  
justitia nonne Principi maximè commendanda est? planè!  
quippe

(v) Hefiod.  
Theog.(v) *Τῆνεα γάρ βασιλῆες ἐχέφρονες, ἕνεκα λαοῖς  
βλαπτομένοις ἀγόρηφι μετέτροπα ἔργα τελεῦσι:  
Hac una, Reges olim, sunt sine, creati:  
Dicere jus populis, injustaque tollere facta.*

Quid vero efficacius imperantem ad justitiam in subditos exercen-  
dam excitare valet, quam sacrorum professio, quâ omnis admi-  
nistratæ a se-injustitiæ postea sibi rationem suo Regum Regi  
reddendam fore, credit omnis Princeps Religiosus? fidemne  
quoque servare Principi non decorum pariterquè Reipubl. per-  
quam utile est? maxime! (x) *nulla enim res vehementius reipubl.  
continet, quam fides.* Solam iterum ad hanc virtutem imperanti  
insinuandam sufficientem agnoscimus Religionem, quæ dilucidè  
edocet, quod

(x) Cicer.  
S. de offic.

(y) Tibul.

(y) ——— *Et si quis prima perjuria celat,  
Sera tamen tacitis pena venit pedibus.*

Clementia quantoperè quoque rectori civitatis commendanda sit,  
nemo, nisi in rebus politicis hospes planè, nescit. Unde & ele-  
ganter Seneca inquit, (a) *Principi non minus turpia multa suppli-  
cia, quam medico funera.* Sola rursus atque unica Religio Principi  
quam vehementissimè persuadet: (b) *Pub-*

(a) r. de  
Clem.

(b) Pub-

(b) *Pulchrum eminere est inter illustres viros :  
 Consulere patria, parcere afflictis, fera  
 Cade abstinere, tempus atque ira dare,  
 Orbi quietem saculo pacem suo.  
 Hac summa virtus, petitur hac calum via.*

(b) Senec.  
 Octav.

atque ita quidem non modo harum, sed & ceterarum omnium virtutum, quibus bonum principem instructum esse debet, melior Religio, benigne genetrix scatebraque inexhausta exclamari merito meretur.

X I I.

Concludimus itaque ex hisce omnibus Principem Religionem affectare multum interesse reipubl. sed tamen nec alia adhuc, quibus eadem hæc evinci potest veritas, verbo hic potius tangenda, quam pertractanda, desunt rationes. Primum, ob quod Religiosos omnes imperii moderatores desideramus, est, quod (c) hæc conditio Principum sit, ut quidquid faciunt, præcipere videantur, quapropter & certo certius

(c) Quint.  
 Declam. 4.

(d) Claud.  
 5. Conf.  
 Honor.

(d) ——— Componitur orbis  
 Regis ad exemplum.

Et certè, cum virtutum matrem esse Religionem vidimus, quis sanæ mentis & hoc quoque nomine Principi Religioni sedulo operam dandam inficias ibit, ut subjecti exemplo suo moniti ac incensi eandem arripiant, perque illam omni sese virtutum genere imbuant. Alterum, quod adhuc Principem Religionem amplecti jubeat, est prosperitas fortunaque benigna, quæ semper ferè Religiosos concomitari assolet Principes. Jam a multis enim retrò sæculis observatum esse iis Principibus, qui & quamdiu Deum coluerunt, prospera evenisse omnia, & contrà Deum abnegantibus & contemnentibus cuncta infelicia adversaque cecidisse, unanimi consensu, testantur scriptores. Atque hoc ipsum Livius innuere videtur cum inquit: (c) *deprehenditis, inveniatis omnia prospera evenisse sequentibus Deos, & adversa spermentibus.* Exemplis hujus rei multis replere paginam, quandoquidem tot, eaque illusterrima, in historicis scriptoribus passim habemus obvia, vix operæ pretium duco. Quid Antiocho, qui legem Dei missam

(c) lib 3.

facere iussit populum, suamque ei substituit, Judeorum templum profanat, multaque alia impietate plena commisit facta, obtigit? Quid *Alexandro Magno* simulacrum semetipsum *Jovis* filium esse jactavit, seque tanquam illum à suis adorari voluit, evenit? Quem vitæ suæ exitum *Nero*, *Caligula*, *Domitianus* plurimique alii scelesti Principes experti sunt? quamque contra Religiosi Reges plerique subire sortem? omnibus satis constat.

## XIII.

Quandoquidem jam, quid commodi & utilitatis societati civili ex Religioso procuretur Principe, satis superque ostensum dedimus, per facile, secundum Philosophorum effatum, oppositorum eadem est scientia, quibus calamitatibus, quantis miseris, & quot incommodis imperans omnem respuens Religionem rempubl. affliget, cuius, vel leviter attendenti, patescit. Luculentum admodum atque instar omnium hujus rei si exoptemus exemplum vel ad unicum *Italum* illum impium, impium quoque delinquentem Principem, ejusque enarrantem officia, attendamus. Ille enim docet (f) prudentis principis non esse pactis stare, simulacrum eadem præstando sibi noxam inferre sentiat vel minimam, & postquam desit vis illa, quæ promittere coëgit: porro, juxta illud Senecæ: *sanctitas pietas, fides sunt privata bona*, fidem, benignitatem, liberalitatem esse virtutes Principi perquam noxios vult. Item asserit (g) generoso Principi illi incumbendum esse rei, ut calleat artem pejerandi, fallendi, atque simulandi, nam (inquit ille Reipubl. subversor, regumque perniciēs) *homines adeo simplices sunt, adeo presentibus necessitatibus obsequentes, ut qui fallax & simulationis artificio eruditus sit, statim sit habiturus, qui se decipiendum tradat, quo magis tales homines cavendi erunt, eorumque artificium arte frustrandum*: inculcat ille insuper Principem non oportere sollicitum esse (h) quod sævus & crudelis audiat, dummodo obsequium extorqueat: verum potius illud tyrannicum, *oderint, dum metuant*, menti infigere suadet. Præterea (i) ad confirmandum Principis imperium (Tyrannidem potius dicat) subjectos ad egestatem redigendos, eosdem ex effati sui, *divide & impera*, præscripto, animis dividendos, dissidiorumque semina inter ipsos spar-

(f) Machiavel. com. lib. 3. cap. 42. & cap. 18. de Principe.

(g) Idem comment. lib. 2. cap. 13. & 18. de Princip.

(h) Idem Cap. 17. de Princip.

(i) Idem comment. lib. 2. & lib. 3. cap. 3.

spargenda esse, commonet. Atque ità sexcenta istiusmodi generis alia, quæ impiam diramque sapiunt tyrannidem, quibusvis principibus studiosè commendat noster *Florentinus*, optimè tamen hæcenus suis incedens hypotesibus, utpotè Deum, atque hinc omnem ad quasvis virtutes obligationem, tollentem. quam interim periculosa, caneqque pejus & angue fugienda sit hæc similisque in republ. doctrina, non ratio modo dictat, sed & tristis rerum eventus jam olim docuit, atque etiam hodiè nimis crebrò profectò docet.

## X I V.

Religiosum itaque in republ. exoptamus principem: quod tamen ut quis rectius intelligat, sequentia hæc annotasse, nequaquam alienum esse, credo. Scil. non eo sensu Religiosum esse decere Principem volumus, ut sese totum sacrificiis, victimis, hostiisque ferendis tradat, die nocteque iteratas preces, pia vota, continuas supplicationes fundat, atque id sibi negotii solum dari credat, ut sese in rebus divinis pertractandis occupatum teneat: illa namque omnia principi neutiquam convenire, verum sacerdotibus potius Deique ministris hanc demandatam esse provinciam, asserimus. Hisce enim omnibus si vacaverit imperans, quo pacto, quæso, ille cunctis in republ. rebus curandis, omnibus imperii curis & sollicitudinibus subeundis, regni infinitis laboribus & molestiis perferendis, par erit? Pium itaque hoc sensu postulamus principem ut nec Dei ejusque cultus sinceri negligens sit, nec quoque ob nimiam (ut ita loquar) circa Numinis culturam, industriam, ad imperii moderandas habenas animum minus adjiciat suum. Atque huc quoque hæc retulerim sequentia. (n) Τῷ μόνῃ προσέχοντι τὴν γὰρ τῆ καὶ θεὸν θεωρεῖται, ὁρᾷ καὶ ἀσκηταῖς ἐνδιαλείβειν προσήκει. ὅστις ὅμως τὴν ἀρετῆς καὶ πολιτικῆν ἔσκησεν ἦθος, καὶ πείραν ἔχει ἀρετῶν, ἔτι καὶ λαὸν ὀδονεῖν ἐς τὰ βέλτιστα, καὶ σωτήρια κερταῖς. *Qui in una Dei contemplatione mentem defixam habet, ei montes & speluncas habitare convenit. At qui una cum virtute etiam mores civiles exercuit, & junxit, quique notitiam paravit rerum variarum: ille verè populum regere, & ducere ad optima optimus potest.*

(n) Nicephr. Gregor.

## XV. Hæc



## X V.

Hæc de Principis *Religione* dicta sufficiant: jam quoque quid emolumentum ex sacrum cultum profitentibus Reipubl. profluet civibus, paucis excutiendum superest. In genere hic omnes, quæ Principem Religiosum optandum evincunt, pro subjectorum parte etiam militant rationes: ostendimus quippè *Religionis* ad Principem, ut suo fungatur in imperio officio, nec illius transgrediatur limites, compellendum efficaciam & potentiam summam. Ità equidem pari jure subditos quibus (ut loquitur *Tacitus*) obsequii gloria relicta est, quorumque officium est tam Principis, quam reipubl. salutem summis viribus intendere & promovere, ad cuncta illa, quæ vel imperantis personæ, vel reipubl. structuræ noxas & incommoda allatura prævident, avertenda, pronos facilesque *Religionis* professionem reddere, quis haud cernat? Atque hæc una generalis, quia scil. subditis frænum, ne officii limites perrumpant facilè, imponit satis mordax, ratio est, ob quam civibus fidei professionem inculcandam cenfeo. Cui tamen & altera hæc super accedit: quod cives in republ. multis ornatos cerni virtutibus non minus, quam principem, salus civitatis exposcat. Hoc ipsum vero quo obtineatur, solam *Religionem* esse agnoscendam causam, virtutumque omnes species esse adinstar rivulorum ex hoc unico deductorum fonte, quæ de Principe antea inculcavimus, abunde patefaciunt. Cum autem de utrisque hisce generalibus jam modo antea egerim rationibus, atque ex ibidem peractis quid & hoc in casu sentiendum sit, apertum satis evadit, non est, quod me hic latius iterum diffundam. Quæstionem attamen unicam, quæ circa primam hanc generalem, tam Principem quam subjectos Religiosos jubentem, rationem fortassis moveri possiet, in transitu decidendam esse existimo.

## X V I.

Objicientem mihi aliquem audire videor: non requiri præcisè in republ. Religionem ad tam imperantem, quam parentes in

tes in officio continendos: quandoquidem ab unâ parte Princeps, metu ne, si muneris sui transgredereetur limites, populum suum ad vindictam suppliciumque de se sumendum, concitaturus, atque ita ipse sibimet exitium structurus foret, plus satis infrænabitur: similiter & ab altera parte, subjecti, tela ac audentia sui Principis metuentes fulmina, facili negotio, ne quidpiam ab officio suo alienum moliantur, abducentur. Sed tamen solum metum hic, ad utrosque intrâ muneris sui terminos coërcendos, satis esse validum, vix imo vix credimus. Exemplo rem illustremus, sumamusque rempubl. ubi omnis exulat *Religio*, in qua primo Principes (n) *(ut enim multi iniqui & infideles sunt regno, pauci boni)* suos ubique supplantare subditos, usque extremæ servitutis jugum, ut pro libitu iisdem dominantur, imponere student; & vicissim parentes, qui plerumque naturâ suâ (o) non *delectu aut sapientia ducuntur ad judicandum, sed impetu & quadam etiam temeritate*, Rectorem suum omni potentiâ etiam justissimâ privare, ad se cuncta, quæ vi principatus imperanti assignata sunt, sollicitare, obsequia vel debita negare, & quæ alia, bonis quam maxime incongrua civibus, pertractare moliantur. Secundo vel ubi Princeps, qui bono obsequiosoque fatis populo præest, in illum tyrannidem affectat, omnesque quas in imperio instituit actiones ad usum suum & privatum commodum (securis interim & quiescentibus civibus) dirigere tentat. Tertio vel si ejusmodi consideremus rempubl. in qua populus qui fere semper (ut scitè fatur Scriptor politicus) (p) *agris oculis alienam felicitatem intrinetur*, Principem legitimum & ad Reip. salutem sic fatis attentum, absque ullâ justâ invadet causâ, rerumque expellere conatur dominio. Quid in hisce tribus casibus, quibus alios, ubi alterutrius partis metui relinquitur locus, fingi aut excogitari posse non video, valeat ac possit? perpendamus.

(n) Attius.

(o) Cicero, pro Plant.

(p) Tacit. i. Histor.

X V I I.

Primum quod attinet casum, in quo nec Princeps à subjectis, nec subjecti à suo tuti sunt Principe: istuc unicum ad utrosque coërcendos metum nullo modo sufficere, verum sapissimè, ubi perniciosum hoc semel invaluerit contagium, idem vix nisi cum

C

totali

totali istiusmodi Reipubl. excidio & interitu auferr jam multorum retrò auctorum sæculorum dictavit experientia. Nec equidem metuet hoc in casu suos subditos Princeps, officii limites etiam si transfiliat, si modo exercitu & armatâ manu civium conatibus & moliminibus obviam eat. Neque minus quoque hos ad illa præstanda, ad quæ eo nomine, quo cives audiunt, tenebantur, pænarum à Principe, si iniqua & indecora perpetrarint, infligendarum, formido adiget, verum armatui sui Principis manui, sese in unum conjungentes corpus, facillime resistent, omnibusque quantumvis fortibus imperantis nisibus obicem ponent. Secundam si penitus introspicere lubeat hypothefin, comperias securum satis & ab omni in subiectos suos metu vacuum absque ulla difficultate sese præstare posse nefarium, quemque nulla movet *Religio* Principem, si modo externa specie sese bonum & æqui custodem commendet, atque tum, hacce de se opinione imbutis civibus nihilque mali suspicantibus, ad sequentia hæc quatuor observanda animum applicuerit: primo vocabula antiquæ libertatis, quâ dudum fructus est populus, immota fervet omnia, at interim substantiam rei que potentiam totam nominibus illis expressam, sibi vindicet. Secundò, ne mutationem hanc atque subitanam nimis persentiscat populus rerum invasionem, sensim ac gradatim illud executioni mandet atque intereà temporis quædam nova (inania tamen & vix cujusdam valoris) concedat, ut ita se subiectorum libertatis inavorem tanto minus sibi persuadeant cives. Tertiò si, ut exercitum pariter & ærarium in suâ contineat potestate, curam gerat. Quartò denique si in imperio potentiores, quosque suis sese opposituros prævidet conatibus, amplis splendidisque honoribus vel magnis & multiplicibus largitionibus ipsis (in quodcunque illos majori studio ferri perspectum habet) impertiendis, in partes suas sollicitet, sibi que devinciat: quos vero corrumpi nescios novit, illos vel honesto & specioso mulctet exilio (quod in legationibus subeundis ferè contingit) vel muneribus, in quibus splendoris multum, at parum refidet potentiæ, admoveat; vel tandem hæc omnia ubi obtineri minus valeant, illos vitâ privet, atque ita quovis artificio ab eorum sese liberet resistentiâ hisce similibusque pessimis ubi usus fuerit superum contemptor & æqui impatiens

tiens Princeps artificii, quo pacto, fodes, solo in subditos suos metu infrænari poterit? ille equidem omnis metus causam jam dudum desparere fecerit.

X V I I I.

Tertium si consideremus casum, non minus metum ad subditos cohibendos unicum in efficacem reperimus. Populusne, si viribus conjunctis unum Principem, inopinentem rebellionisque nihil expectantem, imo etiamsi prævidentem, invadere proposuerit, non aliâ de causâ, quam quia imperantis metuit vindicias & pœnas a proposito suo abterrebitur? minime gentium profecto! omnium quippe subditorum potentia simul, viresque combinatæ majores longè sunt, quam ut a solius Principis æquentur, nedum superentur viribus. (q) *Cum enim quanquam unus ac solus Princeps major omnibus subditis esse debeat, nec major esse possit, ni omnium aut plerorumque amore fruatur, manifestum est unum illum nullum esse & invalidum, si omnium, aut plerorumque odio sit expositus & sin multitudinem suam caperint numerare subjecti.* Et sanè si experientiam hæc in re consulere non habeatur nefas, nec illam minus huic meæ assertioni suffragari comperio. Civilibus bellis nonnè totiens quasvis in terris republ. infectas fuisse omnis ævi tradunt historici? illane itaque solo metu aut præcaveri aut componi potuere? contraria passim sese afferunt exempla. Quapropter denique metum solum ac tam Imperantem quam parentes in officio suo continendos per se neutiquam sufficere, verum solam Religionem hujus rei effectricem esse efficacissimam jure summo concludimus.

(q) Boxhorn. in Instit. Politic. lib. 2. cap. 3.

X I X.

Missis autem hisce generalibus, ad specialia magis, quæ Reipubl. ex Religionem verè profitentibus civibus suboriuntur, commoda perpendenda, properare nos jubet disputationis ratio. Primo omnium summam existimationem dignamque reverentiam sui Principis in subjectorum animis excitat sana Religio: quoniam enim illa inculcat non forte fortunâ aut cæco forsitan Stoicorum

fato imperii potitos, sed solâ curâ & benignâ Dei dispensatione ad rerum summam esse designatos; quin imo nec qualicumque modo ad sceptrâ imperii vibranda ordinatos, sed eum in finem eadem docet esse institutos, ut in hujusce terræ gremio ipsius sui summi Regis, *Dei* munere (quod ipsum Numen olim immediate executum fuisse in stupendâ illâ *Hebreorum* Republ. *Θεοκρατία* nuncupatâ, in Vet. Testamento legere est) fungantur; quapropter & omnis tanquam vice *Deus* interris à subjectis suis salutandus venit Princeps: hinc profecto imperantis auctoritatem atque majestatem, quam tantæ utilitatis in Republ. jam modo antiqui esse noverunt, ut illam (r) *salutis tutelam* nuncupare non dubitarint, longè maximam apud populum necessariò vigere, sole meridiano clarius liquet.

(r) Curt.  
lib. 8.

X X

Sed quid dixi auctoritatis & Majestatis tantum promotricem esse *Religionem*? imo vero parentibus omnis subjectionis obsequiique promptitudinis potentem conciliatricem agnoscimus. Cum enim Deo non tantum obtemperandum in illis mandatis, ex quorum obedientiâ manifestam, ad nos manaturam fore prævidemus utilitatem, verùm in omnibus, nullâ cujusdam commodi habitâ ratione, & quidem ideo tantùm, quia ipsi itâ præcipere visum est, nobis obsequendum esse jubet *Religio*, hinc manifestissimum evadit, bonos *Religiososque* cives non minus paratos semper ac faciles esse, ad quibusvis sui imperantis annuendum jussis, utilia illa ac facilia sibi privatis, an inutilia & molesta sint, parum curantes, dummodo in summi Principis mandata non sunt involantia, vel ad Reipubl. salutem subvertendam non comparata. Nec equidem fecus sese res habere potest apud illos subditos, quæ, Dei loco in regno naturæ seu politico excipiendum esse statuentibus quemvis Principem, imperantis jussa sequi non tantum illius qua talis, verum eodem actu quoque *Dei* se obtemperare & contra Principi obsequia detrectare, & ipso Deo eadem negare altè & invictè persuasum est. Exinde namque fieri haud aliter potest, quin, quemadmodum tales suo *Deo* immediatè promptissima & lubentissima

tissima deferunt obsequia, eaque abnuere iis *Religio* est, quoque parata oppido obedientia erga imperantem suum semper in illorum eluceat actionibus. Veritatem horum omnium elegantissimè haud minus quàm efficacissimè adstruentem audire lubet hic Paulum : (s) *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto. Non enim est potestas nisi a Deo: & quae sunt potestates sunt à Deo ordinatae. Itaque quisquis obstitit potestati, Dei ordinationi obstitit: qui autem obstitit, ipsi sibi condemnationem auferent. Nam magistratus non sunt metui bonis operibus, sed malis: vis autem non metuere potestatem? quod bonum est facito & laudem ab ipsa obtinebis. Dei enim minister est tuo bono. Quod si feceris quod malum est, metue: non enim frustra gladium gerit. Nam Dei minister est, vindex ad iram ei qui, quod malum est, fecerit. Qua propter necesse est subijci non tantum propter iram, sed propter conscientiam. Propter hoc enim etiam tributa solvitis: siquidem ministri Dei sunt in hoc ipsum incumbentes. En, quibus significantia magis proferri aut exco- gitari, à nullo mortalium valent ulla, verba! verba profectò, quorum sensu si sese imbutos praestiterint subjecti, nae illa, cui tales contingunt cives, feliciorum alteram in terrarum orbe quis expectet frustra Rempublicam.*

(s) Epist.  
ad Roman.  
Cap. 13.  
vers. 1, 2,  
3, 4, 5, 6.

## X X I.

Et sanè quantam auctoritatem, obsequiique in subditorum animis semper *Religio*, etiam falsa, pepererit facilitatem, qui vel mediocriter scriptoribus nonnullis evolvendis incubuerit, latere potest neminem. Nonne enim ipsos Reges, ut eo reverentius à populo haberentur, sacerdotes esse voluit antiquitas? imò quam & ipsis rebus inanimantis *Religio* imposuerit auctoritatem, taceo. En tibi Romanorum sacras Aquilas: en sacra signa similia alia, quibus se pro sacris dimicare, ut tanto pugnaret alacrius, memor reddebatur miles? en ipsum quoque Capitolium sacrum eum praecipuè in finem dictum, ut rebus istic loci pertractandis major conciliaretur auctoritas! sed nec in obsequio extorquendo minus valuisse *Religionem*, quamvis spuriam, inter innumera caetera Drusi exemplum palam facit, (t) *qui cum tumultuarentur legiones, atque forte fortuna luna*

(t) Tacit. 1.  
annal. 28.  
de.

defecisset, casum in prudentiam vertit, & percussos metu divino animos facile sedavit. Atque ipsam hanc veritatem non ignorans *Numa Pompilius*, secundus Romanorum Rex, callidè non minus, quam astutè cottidiana cum Diis sese habere simulabat colloquia, omniaquè, quæ populo præcipiebat, (v) quasi monitu *Dea Egeria* accepisse jactitabat; quo usus artificio, eo denique populum redegit, ut quod vi & injuria occupaverat imperium, Religione & justitia gubernaret. Quin denique haud alià inducti causâ Romani etiam, cum subditis quidpiam fuit injungendum, quod obtentu difficile præcognoverant, sacerdotum ministerio usi sunt, qui gratam hujus mandati executionem Diisque acceptam fore populo persuadebant, & contrà, ubi populus invisum aliquid magistratui perpetrare suo agitabat animo, infausta tristiaque exta per eisdem annunciari curabant.

(v) Flor.  
lib. 1. cap. 2.

## X X I I.

Imò & præter hæc omnia utilem adhuc quoque esse in Re- publ. opinamur non immeritò *Religionem*, quod mortales ad heroicâ facta, generosaque incitet facinora. Docet etenim illa cum naturâ Dei ità comparatum esse, ut omnia, quæ ab hominibus bona, suæque voluntati conformia peraguntur, vi perfectissimæ suæ sanctitatis atque bonitatis præmiis certo certius remuneraturus sit. Cum autem imperantes pariter ac subditi Religiosi rem Deo gratissimam esse sibi persuasum habeant, pro Patria ejusque salute quævis experiri, utpotè per idem illud quoque Dei Gloriam ejusque honorem promovere intendentes. hinc illos egregia admodum & immania pro Reipubl. salute, quandocunque opus fuerit, intrepido animo subire invictè sequitur. At verò neque minus sensibilem stimulum ad magna audacter arripiunda facinora eorum animis addi necesse est, quibus per *Religionem* fides facta est, sed in omnibus suis actionibus, inqueis summi sui regis gloriæ promotionem Principem finem suum proponunt, ac ità à Numine principium ducunt, felicem successionem fortunatumque expecturos esse eventum. Quantum hæc consimilesque cogitationes, si al-

si altiorem quodammodo in hominum animis egerint radices, emolumenti Reipubl. adferant, fando haud exprimi valet. Unicum tantum casum, ex quo de hac veritate abunde satis constare existimo ego, ob oculos ponere lubet: contingit utique non semel, congregiendum esse Reipubl. cum hoste majori multò ac validiori instructo potentiâ, quam quâ gaudet ipsa. Quid, amabo, spei aut consilii hic super esse potest, quam in solo Deo T. O. M. omnem suam collocare fiduciam, illique unico belli aleam committere totam: quid, fodes, pugnantium animos magis obfirmare valet, quam hæc ipsa mentibus infixata persuasio (x) non multitudine exercitus victoriam, sed de cælo fortitudinem esse. Exempla hujus rei luculentissima ingenti copiâ subministrat nobis V. Testamentum, ostendens passim quoties & quamdiu populus Israëliticus Deo obediens & moriger erat, ipsiusque favore & auxilio nisus, toties & tamdiu parvâ manu contra quoscunque Principes potentissimos in prælium descendere illum non dubitasse, iisque ferè semper fufis victrices gessisse lauros.

(x) 2 Chr. Cap. 6.

X X I I I.

Patet itaque ex cunctis hæctenus in medium prolatis luculenter satis, quod (y) *Religio, quamquam per se ad conciliandam Dei gratiam valet, habet tamen suos in societate humana effectus maximos.* Verum enim verò, quemadmodum in cæteris rebus humanis nihil ferè contingit esse ab omni parte beatum, ità haud minus expertæ sunt & etiamnum experiuntur hujus rei veritatem nonnullæ Respubl. duplici potissimum viâ à verâ & sanâ *Religione* deflectentes: iidem scil. vel fædam substituendo superstitionem, aut ejusdem parum curæ gerendo, qua propter impietatem potius, quam *Religionem* exercendo. Atque huc quoque digitum intendisse videtur ille, delineans (z) *ἀνθρώπων τὴν ἀδυνεταὶν ὄρον ἢ ἔχειν, ἀλλ' ἐκπερομένην ὅτι μὴ εἰς δεσπομονίαν καὶ τύρον, ὅτι εἰς ὀλιγοκρατίαν τῶν θεῶν καὶ ἀειφρόνησιν: Humanam imbecillitatem qua finem aut modum non habet, sed alias abripitur in superstitionem & vanitatem, alias in neglectum rerum divinarum, aut contemptum.* Unde & scitè dixit Lipsius: (a) *Religio igitur lau-*

(y) Grot. de jur. bel. & pac. lib. 2. cap. 10.

(z) Plut.

(a) Ex-empl. & monit. Politic. Cap. 3.



laudabilis est, sed sita velut inter duos scopulos, superstitionem & impietatem, quem utrumque suademus, & opus est vitare: O utraque magna pestis! sed illa crebrior hac deterior. Quæ verba quoque nostra facimus. Superstitionem enim si spectemus, illam aliud nihil esse agnoscimus, quam (b) opinionem turbulentam, qua timorem homini incutiat, eumque consternat ac deprimat, existimantem, quidem esse Deos (Deum) sed eos acerbos damnososque putantem. Unde nec immerito Seneca fatus est: (c) superstisio error insanus est, amandos timet, quos colit violat: removendam itaque longe ex quavis Republ. superstitionem, atque tam Principi quam populo perquam noxiam esse hæc satis evincunt.

(b) Plut.

(c) Epist.  
123.

## X X I V.

Principes enim omnes, simulac sese superstitioni tradidere totos, tristes, melancholicos, parvi animi, atque (ut ad pauca redeam) Rempubl. prout decet, regere ineptos planè & inutiles statim evasisse constat. Longam exemplorum hujus rei seriem impræsentiarum contexere, quoniam historicorum scripta satis multa depromunt, animus non est: unum attamen & quasi domesticum silentio præterire nequeo, quidque Ludovico undecimo Gallie regi contigerit, indigitandum judico. Ille Rex vix sub superstitionis fuit missus jugo, quin intempestivo Regique indecoro rerum omnium metu percussus, arce semet ipsum, undique munita includit: fenestras omnesque in domum suam aditus ferreis, quo se ab omnium invasionibus scilicet tutum magis & securum præstaret, clatris confirmari quam anxie curat, medicos secum, quibus salutis suæ curam gerere mandat, ideoque ultra modum blanditur, servat: viros, quos poterat sanctos, vocat, quibus vitæ suæ finem extendendum tradit: atque ita millena insanientis hominis facta commisit adeo quidem, ut, (quod alibi Plutarchus inquit) nihil esset tam parvum, aut absurdum, quod in prodigium aut omen non verteret. Vel hic unicus itaque Ludovicus, imo vero Ludovici superstisio doceat, quantoperè eadem generoso fit vitanda Principi.

## X X V.

Principis examinata superstitione, num in populo eadem saltem permittenda aut optanda videatur, inquirendum restat. Affirmant illud nonnulli, negant tamen plurimi: quorum posteriorum castra sequi & nos quoque tutius esse putamus. Populum enim illum, inter quem dominantem superstitionem videre licet, Principi suo obsequiosum magis esse, multoque melius & audacius quævis obire, falsissimum esse asserimus. Quemadmodum enim reges & Principes, quibus imperitat superstitio, meticulosos & ad ulla laude digna gerenda invalidos esse præced. thes. vidimus; ita & eadem necessitate futiles illas ac inanes, quas vana secum portare consuevit *Religio*, in mortalium animis persuasiones, cives molles, languidos, timidos, atque ad majoris momenti res inefficaces reddere inferimus. Similiter nec minus alienum à veritate puto superstitionem populum præstare suo Principi officiosum. Certum utique atque inconcussum est, homines, quo magis sunt superstitiosi, eo magis, venerari sacerdotes sacrorumque suorum ministros haud minus quoque meretur assensum, quantum sacrificulorum venerationi & existimationi hisce in casibus accedat, tantum ferè Principis decedere. Illi namque, ad *Religionem* spectantia tractasse raro contenti, divina pariter cum humanis miscere solent. Ex quibus equidem omnibus cuius facile apparet, nequaquam, sui Principis ejusque mandatorum reddi per superstitionem observantem admodum populum, verum potius ex sacerdotum suorum lingua & ore pendere totum. Unde quoque illi Principes in plurimis, quæ populum executioni mandare exoptant, sacrificulorum uti necesse habent ministerio, quod quam turpe sit Principi, & Reipubl. perniciosum motus crebri, rebellionesque non rarè ex unico hoc fonte in diversissimis enatæ societatibus, clamant.

## X X I V.

Sileo & alias rationes, quas tum ipsa ratio, tum S. Pagina  
 D fugge-

suggerit nobis haud paucas. Nonnè jubet sana ratio honorem omnem, quem objecto alicui deferimus, iidem ità appropor- tionatum esse oportere, ut, objecto excellentiori majorique digno existimatione, minus attribuentes honoris, aut iterum aliud majori, quam ipsius exposcit excellentia, prosequentes cultu, utrolibet modo graviter peccemus? nonnè pariter ex- indè vero & Triuno Deo tantum, utpotè soli infinito, infini- tos competere honores suæque naturæ tantum digno cultu illum esse colendum, nisi Numinis iram manifestam in se con- vertere non dubitent homines, invictè sequitur? in testimo- niis hujus veritatis hic congerendis frustra me hic quis ex- pectet operosum, non tantum quia Theologici hoc potius fori, quam Philosophi duco, sed etiam quod tot tantisque hujus rei S. literæ ubique scateant documentis, ut illa hic transcribere su- pervacuum fore crediderim. Interim quin hæc dicta ad super- stitionem proscribendam, eamque in populo non minus quam Principe esse tolerendam, sufficiant, nullus dubito.

## X X V I I.

Ut alteram *Religionis* pestem, impietatem scil. considere- mus, sequeretur. De quâ tamen, cum antea rei istius men- tionem satis injecimus, hic rursus fusè non differam; quæstio- nem tamen, quæ hac occasione non incommodè moveri possit, enodaturus. Videt quandoquidem statum *Religionis* expertem miserum & deplorabilem esse constat, quærere quis non immeri- tò possit, num hinc Athei Deumquè pariter cum ejusdem cul- tu subvertentes omnes ex republ. funditus extirpandi & era- dicandi non videantur? ad quam quæstionem cautè & sub di- stinctione respondendum ego censeo. Alio itaque sensu tales in respondendum ego censeo. Alio itaque sensu tales in republ. ferendos, alio vero quam maximè eruendos esse statuo. Tolle- randi, non vero pæna sensibili afficiendi illi sunt, (si modò ta- les dantur aut dari possunt) in quantum detestandam suam sen- tentiam tantum in sinu suo premunt, & sibi solis reservant, alios eadem opinione imbuere non molientes, nec publicè illam profitentes. Ratio hujus meæ assertionis hæc est: quemadmo- dum

dum rectè dictum est (d) *nemo rex perinde animis imperare potest ac linguis ut & (e) mentium rex solus Deus est*, ita sanè nulli magistratui in terris illum hominem, ut suam opinionem valere jubeat, cogere licitum aut concessum esse existimo: namque solius Deitatis, nequaquam autem humanitatis, character est in intimam hominis & abstrusam partem, conscientiam puto, absolutum dominium exercere. Quod revera affectaret magistratus ipso temporis momento, quo Atheum non minus quam quemvis alium pænis aliisve cruciatibus ad contrariam opinionem arripendam obligare vellet ac cogeret. Et utinam hujus sæculi Principes, quanto, regnum Dei hac in parte tam foedum in modum invadentes, sese crimine implicent & inquinent, altius ad animum revocarent suum! non equidem semet ipsos hoc agendi modo tantâ afficerent injuriâ, nec in miseros suos nefandâ adedè sævitiâ, atrocique crudelitate grassarentur tam facilè subditos.

(d) Curt.  
lib. 8.

(e) August.  
in Joan.

## X X V I I I.

Eatenus itaque non incurrere in pænam, à magistratu in flagendam, Atheum pronunciamus. Verum enim vero, quia totius corporis civilis refert, ne *Religionem*, utpotè fundamento cui tota civilis innititur structura, infidiæ struantur, tandemque eadem planè conculcetur, funditus esse extirpanda illorum hominum portenta assero, quæ publicè coram omnium oculis male sanam suam pestiferamque reipubl. partibus omnibus sententiam confiteri non dubitant, aliosque læthiferâ suæ opinionis lue contaminare student. Imo verò non modò licere in illos homines animadvertere magistratui, sed & maximè eos ad illud præstandum esse obligatos eorum munus plus satis docet. Nam nonne Principem seu magistratum cum potissimùm in finem esse institutum jam ante vidimus, ut omnibus, quæ promovendæ reipubl. saluti inserviant, illam beet, & contra non minus illa, quæ in civitatis vergunt perniciem studiosè & pro viribus avertat? Hinc etiam dubio procul omni ipsis, ne illorum Atheorum sententia in subjectorum cæterorum animis femina spargat, atque ità denique Reipubl. summoperè noceat,

cura incumbit. Futile & ineptum foret hic objicere, Magistratum nihilominus hac occasione imperium in conscientias sibi vindicare, quoniam illo in casu ideo illi non puniuntur, quia occultam illam sententiam secum portant, sed eo tantum, quod publicè illam profitentes Rempubl. universam perturbent, eique summum creent detrimentum.

## X X I X.

Hæc de *Religionis* utilitate in Republ. pro instituti ratione dicenda habuimus. Jam vero quid de ejusdem in societate varietate sentiendum sit, inquirere exercitii monet ordo. Quam rem tamen antequam rimemur, quot hodiè interrarum orbe *Religiones* præcipuè dominantur, paucis hic præ notasse haud quaquam incongruum duco. Ad quatuor generalia capita omnes, quas possidentur mortales, *Religiones* referri non incommodè posse credo. Vel enim *Ethnica*, vel *Muhamedana*, vel *Judaica*, vel denique *Christiana* est omnis, quam obviam alicubi habemus, *Religio*. *Ethnica Religio* illa est, quæ omni omnino revelationis lumine & gratiâ destituitur: eaque sedem suam fixit hodiè præcipuam in *Tartaria Boreali*, *Regno Sine*, *India orientali*, quin in non paucis *Asia*, *America*, *Africaque*, partibus. *Muhamedana* est, quæ revelationis quibusdam exiguis scintillis & reliquiis gaudet, at per *Muhamedem* corruptis planè & adulteratis: hæcque omnium latissimè sese diffundit, nam maximam *Africa* & *Asia*, imo non exiguam quoque *Europa* partem in vasit. *Judaica* est, quæ revelationem habet ex *Veteri Testamento*, illudque solum, *N. Testamento* tanquam suppositio & spurio spreto, agnoscit: hanc autem profitentes *Religionem* gentes, nullam in orbe peculiarem constituunt rempubl. verum manifesto quasi iræ Dei que maledictionis indicio per universum penè terrarum orbis ambitum ingenti numero dispersæ ac vagabundæ sub aliorum imperii gemunt jugo. Plura de hisce tribus *Religionibus* in medium proferre instituti vetat ratio, cum tam antecedentia omnia me hæcenus de *Religione Christianâ* verba fecisse declarant, quam sequentia nos de eadem etiam locuturos esse confirmabunt.

XXX. *Chri-*

## X X X.

*Christiana* itaque quæ fit Religio lustremus. Eaque est, quæ cum *Vetus* tum *Novum* Testamentum tanquam verum divinitusque exortum adoptat, indequè omnia, quæ in iis continentur libris, utpotè indubitata amplectitur: locum hæc suum obtinet præcipuum in *Europâ*, partibus *Africa*, locis quibusdam *America* & *Indiæ* Orientalis. Una eademque hujus Religionis aliquamdiu fuit facies. Subortâ vero Reformatione in varias statim abiit illa sectas, quæ tantum paulatim ducere incrementum, ut eas omnes hic enarrare earumque dogmata explanare, vires meas longè superet; quin quoque à scopo, quem intendo, alienum foret. Quatuor tamen inter cæteras omnes hac occasione capita sua magis extulere. *Pontificia*, à Pontifice maximo, quem Ecclesiæ non minus quam politiæ summum in terris constituunt *Papistæ* caput, hoc sibi sortita nomen. *Luterana*, à præceptore suo primo *Luthero* ita dicta. *Calvinistica*, à Doctore *Calvino*, quamvis *Swinglius* proprie hujus sectæ primus sit salutandus auctor, hoc nuncupata nomine. Et deniquè *Sociniana*, à Socino hoc insignita vocabulo. Quas quatuor Religionum sectas sequentibus hisce inclusos, earumque tres ultimas acriter perstrictos videret licet:

*Adstruxit* PETRUS, *destruxit* tecta LUTHERUS,

*Muros* CALVINUS, *sed fundamenta* SOCINUS.

Qua occasione hæ Religionum diversitates enata fuerit, quo in loco, & quo tempore, historicis ecclesiasticis conscribendis incumbentibus expendendum tradimus.

## X X X I.

Hæc tot à se invicem abhorrentium Religionum discrepantia variarum quæstionem Politicis dedit ansam: quarum præcipuam unam aut alteram hic paucis enodare & nos quoque proposuimus. Prima itaque & tanquam cæterarum omnium caput est hæc: plures an vero unam tantum Religionem in compositâ & bene constitutâ dominari præstet Republ.? quosdam illud, haud paucos hoc vehementer urgentes cernimus civilis doctrinæ per-

scrutatores. Nos tamen, rationis non minis quam experientiæ ductu, unam *Religionem* in Republ. maximoperè desiderandam esse adstruimus. Rationem si consulamus: illa etenim edocet, unius *Religionis* professionem veram & summam in civium animis excitare concordiam, omnesque diffidorum semina studiosè admodum amovere. Quam rem Reipubl. utilissimam imò perquam necessariam esse sani principis inficias iverit nullus: *concordiâ enim res parva crescunt, discordiâ maxima dilabuntur.* Unde equidem, si maximæ concordie causam esse unam *Religionem* ostensum dederimus, pariter quoque in quâvis societate illam unam desiderandam oppidò esse firmiter fatis nos adstruxisse credimus.

## XXXII.

Summam populo concordiam ingenerare non potest non una sacrorum professio eorundem, quæ mortaleis non modò se invicem tanquam concives in regno naturæ considerare jubet, sed ad hæc utpote tales in regno illo gratiæ (cujus absolutus Dominus & Princeps independens D. noster *Iesus Christus* est, quodque jam personis ecclesiasticis, tanquam subalterno gubernandum traditum est magistratui) sese mutuo omnes subjectos civitatis alicujus contemplari una *Religio* postulat. Accedit insuper, quod homines, quibus est (f) *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, omnes suos in utroque, tum naturæ, tum gratiæ, regno socios, tanquam ipsissimos fratres, ex uno sanguine ac iidem progenitos parentibus, qua propter & eo nomine perpetue amandos, intuentur. Ex quibus omnibus plusquam manifestum evadit, quod (g) *summa & maxima concordia causa, de uno Deo sensus, ex quo velut fonte procedit insolubilis & animos inter se vinciens amicitia.* Unde & alius quis lepide dixit: (h) *eandem de Deo habere sententiam, nihilque vitâ & institutis inter se discrepare, pulcherrimam in animis hominum concordiam excitat.* Indubitatum itaque, semperque unam concomitans *Religionem*, bonum concordiam esse apparet. Nonne enim quibus in rebus ex naturæ regni obligatione animorum inter cives consensus obtineri nequit, inter illos idem fatis impetrabitur vi & efficaciâ regni gratiæ, in

(f) Epist. Paul. ad Ephes. cap. 4. vers. 5.

(g) Phil. de fort. (h) Joseph. Cont. Ap. pion.

in quo concordia & pace nihil magis intenditur & extollitur? nunquid illos, quibus proximos suos sicuti se ipsos amare competit, dissensionibus & discordiis agitari congruum est? minime gentium!

## XXXIII.

Sed nec minus unam tantum in una civitate sperandam esse Religionem tristis omnis sæculi experientia commonstrat. Horrendarum quippe cædum, cruentissimorum bellorum civilium, diffidorum & contentionum calamitosarum, perniciosissimarum & execrandarum perduellionum ac rebellionum, quin denique totarum rerumpubl. everfionum deplorabilium causam unicam & fomitem crebro fuisse Religionem disparitatem, quis, nisi historiarum ignarus planè, nescit? exemplis hæc omnia specialibus hic dictis fidem facere, nec temporis, nec chartæ, quibus includimus, ferunt angustia. Verissima tamen hæc esse omnia generatim satis *Germania, Polonia, Hungaria, Bohemia, Gallia, Anglia, Scotia*, &, ut uno verbo absolvam, omnia ferè regna & Respubl. manifestant. Sed quid de exteris, & à nobis magis remotis regnis verba profero? O utinam & Patria nostra tellus harum rerum testis non foret nimis equidem verax! quas enim diffidorum accenderit faces, quas excitaverit rebelliones, quot hominum ediderit strages, in quam præsens ac fermè inevitabile exitium patriam nostram adduxeri sacra illa *Hispanorum* inquisitio, haud aliundè quam ex *Religionis* diversitate oriunda, latet neminem. Dignum certè, quo hic recenseatur, celebris scriptoris hanc in rem locum æstimo, quo inquit: (i) *quadragesima annorum spatio hominum millia plus quam centum (in credibile dictu!) flammis, laqueo, aquis hausta, variisque ob Religionem tormentis excruciatæ sunt* eheu infelix nimium & deploratu digna, cui hæc contingere patria! *quis talia fando temporet à lacrimis!*

*Tantum Religio potuit suadere malorum?*

Prætereo & alios adhuc motus & dissensiones, quæ ex factionibus *Remonstrantium* & *Contraremonstrantium*, consimilibusque aliis postea prognatæ, miserum in modum solum nostrum natale afflixere & defatigare.

## XXXIV.

(i) lib. 1. Belg. Annal.

(i) Reidan. lib. 1. Belg. Annal.



## X X X I V.

Concidit itaque sponte sua ex hisce notatis eorum opinio, qui pluralitatem *Religionis* concordiae vinculum esse contendunt. Sed nec alia etiam à parte Principis deest ratio, quæ ipsum unam tantam *Religionem*, si fieri potest in Republ. permittere jubet. Scitâ simul & stringentia pro hacce re verba *Odoardi Westonii* hic tanquam nostra adoptare lubet. (1) *inter omnes minus tutus videtur Princeps, nec sanè benè securus, qui arbitrarías inrepub. permittit Religionés, nam aut in alteram partem propendet, vel in medio, Quasi in æquilibrio suspensus constitit; si aliquo inclinet, adversaria factio eum pro hoste habebit; si neutro vergat, ab omnibus pro Ath.o habebitur. Neque pro indè Principis salus pati potest contrarios cultus Religionis. Straminea autem nulliusque efficacix sunt, quæ, ad hujus viri memorata verba suffodienda, regessit Boxhornius hoc modo:*

(1) lib. J. de  
Christ.  
Hom.  
Offic.

(m) Instit.  
Politic, lib.  
5. Cap. 6.

(m) *verum enim vero non validum satis est illud argumentum (WESTONII SCILICET.) Tertium est, quod hic agere potest Princeps, & licere Principi existimamus, nimirum omnium, quæ haud noxiæ sunt Reipubl., Religionum cultum, pariter omnibus eadem libertate indulta concedere. Sic enim optimè secum agi omnes existimabunt, neque pro inpio illi ad scribi potest, qui ut suam & diversam aliis permittit, ita suam constanter servat & tuetur Religionem.*

## X X X V.

Frigidè hæc omnia regeſta dico, quia tertium hoc nullo modo procedit. Namque omnis Princeps, qui arbitrarías permittit Religionés, suamquæ nihilominus servat constanter, vel majori fervore, vel minus anxîâ curâ suam proſequetur *Religionem*? majori si in sua sacra ille feratur zelo, præterquam quod talis vix, imo vix, unquam arbitrarías indulturus sit? nulla equidem alterius indolis professio sub illo Principe sibi ullam promittere vallet securitatem, verum, ut ut Religionis diversitate nihil homines suspicaces magis, sibi que invicem diffidentes reddat, itâ haud secus illo in casu Principis omnes actiones dissentientis sacri cultus populo suspectæ sunt. Hinc autem certo certius contin-

git

git, ut ille populus, simulac vel minimùm suum Principem moliri imaginantur, quo sua aliquid detrimenti forsitan capere posset professio, ex templo illum odio prosequi incipit: quod, ubi invaluerit, non rarò Rempubl. gravibus satis incommodis pressisè compertum est. Minori vero zelo sacra sua si amplectatur omnibusque favere si videatur *Religionibus* Princeps, nihilominus tamen Atheus omni procul dubio apud populum audiet ille. Luculentum; atque hanc rem abundè conficiens exemplum suppeditat nobis Elector Palatinus, *Fredricus*, dictus *Sapiens*, ille Princeps magnificum & puichrum templum exstrui curavit, illudque Concordiæ Fanum idèd nuncupavit, quod Pontificios, Reformatos, Lutheranos, & quoscunque alios in eodem sacra sua celebrare vellet; nec sane alium hac in re intendit fidem, quam inter illos omnes hæcenus dissentientes & acriter contententes felicem excitare concordiam. Sed quid laudis & honoris hoc factò consecutus est ille Princeps? nihil profectò aliud, quam quod sibi splendidum Athei nomen vindicaverit. *Sacrarum enim ædium, sed ab Atheo edificatarum*, nomen illi templo postea impositum vidimus.

X X X V I.

Ast verò unitatem sacrae professionis in republ. commendantes, haudquaquam innuimus nullibi locum habere posse ejusdem pluralitatem: nec etiam, ubicunquè plures dominantes invenimus *Religiones*, ibidem subditos armis, suppliciis, cædibus aliisque impiis mediis ad unam eandemque assumendam impellendos, cæterasque ità per fas & nefas delendas esse, contendimus. Absit longissimè hic dirus & execrabilis agendi modus ab omnibus illis, quibus vel minutissima tantum supersunt pietatis rudimenta! Jam antea quippè solius Dei esse conscientis imperitare hominum, injuriososque in Deum pariter ac genus humanum exclamandos omnes, quicumque in illas dominium affectare non verentur, lustravimus. Undè & meritò cum *Hornio* concludimus, quod

(n) nullus sane in republ. perniciosior sit error, quam ille *Hispanorum*, *Hæreticos seu dissentientes Religione esse comburendos, vel patibulandos secundum barbarum syllogismum, quem Vargas semper recitabat: HÆ-*

E

RETICI

(n) in disert. ad Polit. Boxhorn. lib. 1. cap. 7.

RETICI FRAXERUNT TEMPLA, ET BONI NIHIL FAXERUNT  
CONTRA, ERGO OMNES DEBENT PATIBULARE. O impia piæ-  
que menti detestanda consilia ! quorum etiamfi

(o) Virgil.  
lib. 2.  
Æneid.

(o) ——— *Animus meminisse horret, luctusque refugit,*  
haud tamen levem (eheu) apud Galliæ regem hodiè, teste ex-  
perientiâ, applausum merentia ! verum utinam tantum Gallo-  
rum regi, & non plerique (imo vero quidni inquam omnibus)  
Romanorum sacra profitentibus Principibus sacra hæc & im-  
proba arriderent consilia ! quæ attamen & nunc temporis ipso-  
rum mentibus infixæ hærent, mirari neutiquam sinunt G. Hor-  
nii verba (p) *Et hæc generalis opinio fuit omnium Christianorum occi-  
dentis usque ad annum Christi 1517. ita quidem, ut omnes, que di-  
versitatem Religionum introducere moliebantur, sub nomine hæreticorum  
combusti & supplicio affecti fuerunt. Quis mortalium mente suâ,  
quod tot tantaque*

(p) ad In-  
ffit. Box-  
horn. lib.  
1. cap. 7.

(q) Lucret.

————— (q) *Sapius olim*  
RELIGIO peperit scelerosa atque impia facta,  
revolvens, in stuporem non datur? detestanda hæc omnia bo-  
nique Principis officio aliena esse, vel ipse gentilis scriptor nobis  
suggerit, inquiens: (r) *a Tyrannis conscientiam generis humani abo-  
leri non posse, & licet per inquisitiones adimatur loquendi audiendique  
commercium, memoriam tamen non perire, quia non tam in nostra po-  
testate est oblivisci, quam tacere.*

(r) Tacit.  
in Agr. 2.

### XXXVII.

Plures itaque aliquandò in Republ. tollerari posse (imò debe-  
re, si de facto obtineant, neque aliter, quam illicitis ejusmodi  
modis erui valeant) audacter asserimus. Et præcipuè quidem  
istic plures *Religiones* feliciter admitti autumo, ubi Reipubl. salus  
à subjectorum dependet multitudine. Atque hinc non malè nec  
cum nostræ Reipubl. dispendio in patriâ nostrâ quoque *Religio-  
num* permixta est pluralitas. Non aliâ etiam de causâ Romani  
jam olim Rempubl. hominibus abundantem & facundam red-  
dere nitentes, exterorum ritus & ceremonias admittere non du-  
bitarunt. Sed tamen etiamfi plures quandoque in Republ. ferri  
*Religiones* haud adeò censuimus absolum, non iccirco, (t) *ut ut*

(t) Box-  
horn. In-

*cetera*

cetera tolleranda sint, ea admittenda videatur. quae ad negandam aut minuendam imperantium auctoritatem comparata est, vel quoque (ut hoc uno omnia complectar) quaecunque ipsis Reipubl. fundamentis contraria est. Posita hac generali & in omni benè constituta Reipubl. studiosè observandâ regulâ, non est, quod miremur Hebraeorum Religionem tantoperè semper Romanis fuisse invisam. Non est quoque hinc, quod obstupeamus multos Cæsares tot & tam sævibus in Christianos invecos fuisse persecutionibus: noverant quippe illi Christianam Religionem docere oracula, auguria, similiaque omnia non nisi mera hominum figmenta, quapropter & floxi pendenda, imo contemnenda esse; quæ quidem præcipua Romani Imperii fulcra erant, quibus subversis universæ Reipubl. ruina certò subsequuta fuisset. Quin tandem hinc non est, quod quis stupefactus quaeritet, quam ob causam in hac ipsâ nostrâ patriâ (ut cæteras omnes missas faciam Respubl.) Sociniana Religio adeo sit exosa, multisque in locis, in quibus viget Reformata, tam sedulo arceatur Religio Pa-

ffit Politic.  
lib. 1.  
Cap. 7.

XXXVIII.

Paucis attamen in rationes, ob quas geminæ hujus Religionis exercitium minus liberè indulgetur disquirere, eæque num justæ satis ac validæ sint ad illud ipsum prohibendum, animo volvere lubet. Sociniana ob quam causam justissimè proscribatur Religio fugere potest neminem, cui modo, quam impia & perniciofa illi homines in Theologia cudant dogmata constat: dogmata profecto universum Christianismum, ideoque per Christianismi eversionem Reipubl. fundamenta omnia subvertentia planè & confodientia! indolem autem & naturam horum omnium dogmatum explanare Theologici, non Philosophici fori duco. Pontificia Religio ob quas diligenter, ne vires induat, opprimenda sit in Protestantium Reipubl. rationes si quis indaget, illas numero haud exiguas, nec leves valde esse comperturus est. Si ulla profecto ad Reformatæ vel cujusvis alterius, quam Pontificiæ, Religionis Reipubl. interitum & perniciem nata videatur Religio, sola procul dubio Romanensium sacrorum professio illa agnos-

scenda, atque unica jure summo *Religionibus* cæteris omnibus hac in parte palmam præcipere censenda est. Hæc enim ipsa quam directissimè generali illæ regulæ, in permittendis *Religionibus* observandæ, atque præced. Thes. exhibitæ, adversatur. Fundamentis utiquè Reipubl. contraria, simulque ad imperantium auctoritatem negandam & minuendam sua natura comparata est. Quam veritatem ut clarius demonstratam demus, illorum hominum nonnullas, quas sua *Religio* fovere jubet, opiniones & persuasiones perlustrare necesse hic duco.

## X I L.

Fundamentalis regula, quam Romana Professio omnium Religiosorum animis anxie & summâ curâ inculcat hæc est: *Hæreticis, sive à Pontificiâ dissentientibus omnibus Religionibus, nulla est habenda fides.* Non hic jam ex professo disputare animus est, num hoc illorum dogma, quod fidem hæreticis quidem dare permittit, servare attamen (mirabile dictu) vetat, aut ex S. Scripturâ aut ex naturâ à sui propugnatoribus demonstrari valeat unquam? quod sanè simulac præstiterint illi Heroes, persuasum mihi plane habeo quod eo ipso temporis momento

(v) Ovid.  
lib. 1. Trist.  
Eleg. 8.

(v) *Terra feret stellas; cælum findetur aratro:*

*Flamma dabit ignes & dabit ignis aquas.*

(x) Boxh.  
Inst. Polit.  
lib. 1.  
cap. 7.

non, inquam, me hujus quæstionis campum longius introiturum esse, quoniam ipsâ suâ absurditate hæc regula sibi ipsi manus violentas infert abundè. (x) *Fides enim data publico fœdere* (imo vero etiam privato) *servari etiam debet hæretico, infideli, hosti, rebeli; si enim turpe est fidem illis servasse, imo nequidem dari ei debuit, si non debuerit servari.* nos vero hic solummodo omnium Rerumpubl. fundamentum tollere hoc ipsum dogma, ostendisse contenti erimus. Quicunque certè vel levissimâ tantum attentione hujus meæ dissertationis Thes. 6. & 7. evolvere dignatus est, perspectum ille satis habet societatis omnis fulcrum ac fundamentum præcipuum esse, ut pactum illud, inter magistratus subjectosque iectum, sit firmum & inviolabile ab utraque parte; qua propter & jurejurando, utpote medio ad illius sanctitatis persuasionem contrahentibus ingenerandam

randam efficacissimo, confirmari non male consuevit. Jam vero quandoquidem *Religio* Papistica nullis hæreticorum pactis, quantumvis jurejurando assertis fidem servare, obstrictum esse nullum clarè doceat, & tamen ex illius, cujus mox mentionem injeci, pacti servatâ fide Reipubl. dependeat salus, quis mentis compos hæreticæ (ut cum ipsis loquar) ejusmodi, in qua publicè introducitur, vigetvè *Religio* Romana, Reipubl. millenas calamitates, imo extrema quævis ipsumquè interitum imminere haud prælagiat?

X L.

Ità primò, quia in Rerumpub. basim impingit Romanensium facer cultus, eundem proscribendum esse concludimus. Sed secundo idem quoque merito inferendum esse putamus ex eo, quod omnem Magistratum auctoritatem, quæ, ut inquit *Lipsius* (y) est anima & vis imperii, in Papam illa *Religio* transferat, contendunt enim *Papista* Pontificem suum Maximum non modò caput, dominumque in terris independentem esse constitutum in rebus, ad Ecclesiam spectantibus, verum pari jure in res sæculares & politicas ipsi concessum esse dominium asserunt. Atque hinc quoque eundem illum cives quavis occasione jurejurando suo Magistratui, hæretico non solum, verùm & ipsi Pontificio, præstito, solvendi, eosque ità ab obsequii obligatione liberandi potentiâ instruunt. Deplorabilem equidem & miserrimum esse illius Reipubl. statum, quæ hac opinione imbutis abundat civibus, quis non cernat? istic imperantium auctoritas omnis & majestas sola ab extero hoc vel illo exspectanda Papâ: ibidem obsequii promptitudo unicè à Pontificis maximi nutu & benevolentia, quæ quam exilis sit in hæreticos satis superque manifestum est, deducenda. Quin imo quoniam tota illa ab extero dependet Principe, Papâ, Provinciæ faciem multo magis quam Reipubl. refert talis societas. Optima revera sunt hanc in rem Scriptoris Politici Boxhorni monita (z) neque etiam job alterius Principis auctoritatem & mandatum exuere subditi aut possunt aut debent obsequium, ei debitum, qui alium

(y) lib. 4.  
cap. 9.  
Polit.

(z) lib. 2.  
cap. 4. Inst.  
Polit.

supra ac juxta se parem in imperio non agnoscit. Quare (pergit ille) proscribimus & damnamus Pontifices Romanos, qui excommunicandos (ut loquuntur) reges, & subditos a juramento fidelitatis pro lubitu solvendo susceperunt. Notatu verò dignissima sunt, quæ mox subjungit verba: proscribimus quoque obsequia, quibus subditi ejusmodi proscriptionum iniquissima fulmina adversus Principes exequentur, subvertunt enim ista & turbant jus dominationis. Rejicit scilicet auctor posterioribus hisce verbis & alteram Pontificiorum Reipub. non minus nocentem sententiam, qua non tantum debita obsequia Principi negasse contenti sunt, verum cuilibet privato simul ac Pontifici hoc facto rem gratam sese præstiturum noverit, licere, imo si illud ipsum jusserit Papa teneri quemvis è medio tollere Principem sibi imaginantur, sua quidem Religione illum, qui hoc scelus perpetraverit, magna apud Deum præmia esse demeritum, credentes.

## X L I.

Tertio denique arcendam esse Professionem Romanam asserimus; quia eandem profitentes omnes cuncta, quæ Reformati aliivè possident, Publica bona, immunitates, Privilegia &c. sua & sibi per vim extorta esse, persuasum sibi firmiter habent: qua persuasione infectos multos in Republ. habere subjectos quam periculosum sit, nemo, nisi insipiens planè, non persentiat. Ab illis sanè civibus nihil aliud expectandum restat, quam ut vel minima occasione data, de amissis rebus sibi recuperandis & repetendis cogitent, ejectisque Reformatis aliivè earum omnium dominium sibi iterum vindicare studeant: illos namque omnes expellere, quia sua repetere justum est, æquum licitumque non modo esse ducunt, verum enim vero quoniam multa, quæ sacro usui ab illis sæco furore dicta sunt, ab aliis in usum profanum impendi comperiunt, quin quæ sacris adhuc ab iis impenduntur, non nisi spuris (ut illi autumant) & hæreticis addicuntur, hinc quam maximè ad omnibus illis bonis ceteros privandos obligati obstrictique sunt, ut hæc rursus veræ (scilicet) & unicè Deo acceptæ Religioni admoveantur, atque ità hac in parte suam erga Deum officiosam ostendant mentem. Horum omnium

omnium & similibus exempla non est, quod longè quæramus: vel ipsa nostra patria, imo ipsissima hæc, in qua degimus, urbs *Ultrajectum* testis sit. Quid enim anno 1672. *Ludovici XI.* regis Galliæ copiis pontificiorum adauctâ magis potentiâ, contigit, abundè constat templum nostrum maximum nonnè modò tunc temporis Reformatæ extorsum, inquè illa idololatricam suam publicè illos exercere cernere, volentes nolentes debuimus, *Religionem?* annon jam tempus esse natum omnes uno ictu Geufeos delendi, bona sua cuncta recuperandi, illorum hæreticorum jugum excutiendi, & consimilia detestanda alia, quæ benè multa istius, (*Eheu infelicitis nimis!*) temporis enarrant annotatores, patrandi, per plateas passim illorum hominum audiebatur murmur?

X L I I.

Patet itaque luce Meridianâ clarius ex allatis hisce omnibus Pontificiam *Religionem* ad cæterarum à *Religione* illa abhorrentium Rerumpubl. interitum natura sua quasi natam esse, neque ullum Papisticæ professionis hominem utpotè genuinum Papiſtam, bonum civem esse posse. Bonus etenim cives. (a) *rectoribus civitatis debet reverentiam, fidelitatem & obsequium. Cui conjunctum est ut idem præſenti ſtatui acquieſcat, neque ad res novas animum adjiciat, neque alteri civis adhareat magis, eundemve admiretur & veneretur, utque benè & honorificè de iſdem & eorum actibus ſentiat atque loquatur.* Hisce equidem omnibus nihil minus præſtat, qui pius pontificius audire velit illum enim nec reverentiam, nec fidelitatem, nec obsequium ſuo Magiſtratu deſerere patefacit illa regula: *hæreticis non eſt habenda fides.* Vid. Theſ. 39. eundem neque præſenti acquieſcere ſtatui commonſtrat illud, quod quivis Papiſta omnes ſuos intendere ſemper teneatur nervos, ad imperantes ſuos æque ac concives expellendos bonaque eorum omnia ac privilegia, utpotè reverà ſua diripienda. Theſ. 41. deniquè nec eundem alteri alicui minus adharere, eundemque admirari & venerari &c. claret ex eo, quod Pontificem R. rerum omnium adoptat dominum, imperantesque non minus quam parentes ab illo dependere ſtatuit:  
Theſ.

(a) Puff.  
de offic.  
hom. &  
Civ. lib. 2,  
cap. 18.



Thef. 40. speciales magis rationes, quæ rem perperdenti bene multæ occurrunt, ad pestiferam hanc & quorumvis malorum producricem, Papisticam *Religionem* ubique proscribendam, hic assignare nimis longum foret, verum generalibus hisce, quas tamen ad hoc ipsum persuadendum plus quam validas agnosco, indigitatis potius quam pro rei dignitate & exigentia pertractatis, huic materiæ colophonem addere disputationis jubent limites.

## X L I I I.

Ità quid de *Socinianis* & Pontificiis sentiendum sit lustrato, verbo quoque num Anabaptistæ in Republ. videantur ferendi disquirere placet. Ut autem distinctius nos in hujus quæstionis procedamus determinatione, distinguendum hic in limine esse inter Anabaptistas judico. Duplex enim illorum hominum genus sese prodit. Quidam illo insigniti nomine sunt homines turbulenti, seditiosi, magistratibus justa detrectantes obsequia, aliisque malis furentes affectibus. Alii autem istius nominis sunt quieti magis, paci perquam dediti & belligerare quidem illicitum sibi opinantes, sed tamen, ubi rerum gerundarum nervus, pecunia scil., defuerit, libenter sic satis ad bella gerenda nummos conferentes. Ipsam quoque hanc inter Anabaptistas adhibuisse videtur distinctionem Hornius: (b) *per Anabaptisticam* (Religionem puta) *intelligimus seditiosam illam hominum colluviem, quæ omnem magistratum & ordinem everit, quales fuerunt TOMÆ MUNSTERI ET JOANNIS A LEYDEN sectatores & hodie in ANGLIA qui vocantur Quakers. Excipiuntur* (inquit auctor) *Anabaptista, qui sunt moderatores, & a turbulentis illis consiliis abhorrent.* Præmissâ hac distinctione, quæstionem propositam facili negotio solvimus: & quidem prius Anabaptistarum genus perniciosarum illorum opinionum ergo, & ob modos agendi in Reipubl. involantes salutem proscribendum, posterius autem, quale patria nostra passim cernit, intrepidè admitti posse sentimus. Nec quidpiam ad, tum hos, tum illos Republ. arcendos Anabaptistas, inferendum valet quorundam objectio, qua illud ipsum ideo contendunt, quod bello nomen dare nullus illorum non tantum non velit, sed

(b) in dif-  
fert. cid.  
Inst. Box-  
horn. Po-  
lit. lib. II.  
Cap. 7.

sed nec cuiquam ex *Religionis* suæ præscripto illud integrum sit. Nullius utique momenti, & præcipuè quidem in nostrâ patriâ, hanc difficultatem dico, quia non omnes ac singuli militiæ operam dare & castra sequi cogimur, sed *Reipubl.* æquè suppeditantes, quam merentes stipendia opus sunt. Cui primo quandoquidem illi facis sunt apti, imò verò haud rarò hæc in parte cæteris præstant concivibus, quia plerumque summâ industriâ & strenuè mercaturam exercentes, ingentem nummorum vim sibi corradunt, neutiquam, quod Marti sese tradere nolunt, *Reipubl.* ejiciendos esse concludimus.

## X L I V.

Ast instantem mihi aliquem audire videor. Helvetii quidem expulere Anabaptistas, quia sibi grave & *Reipubl.* noxium erat illorum hominum genus: quidni ergo & aliis societatibus idem hoc conducit, utpotè idem in illis experiuntibus? at imperite profectò, nec *Reip.* Helveticæ regiminis formæ fatis gnarus hæc regerit quis, inter Helvetiorum & nostram aut quamcunque aliam comparationem instituens *Rempubl.* Quicumque Helveticæ *Reipubl.* perscrutatus est regiminis formam, procul dubio invenerit illam esse talem, ut, externo ingruente hoste, non exteris æquè ac indigenis (uti hîc loci & alibi contingit) ad communis propulsandam hostis vim utantur militibus, verum ex propriis semper & domesticis civibus exercitum instruant: qui ut numerosus fatis hostiumque viribus resistere par sit, omnibus ac singulis sese armorum peritiâ imbuere injungitur. Ex quâ civium exercitatorum multitudine urgente necessitate tot, quot ad hosti obiam eundem opus esse ducitur, eliguntur. Ubicumque autem hic agendi obtinet modus, istic & Anabaptistas perniciosos esse quis neget? domi enim si quietè manere ibi permittatur Anabaptistis, non pauci quoque ex cæteris civibus multiplicium, quæ bellum indivisim concomitantur, miseriarum & incommo-  
dorum pertæsi ad, illorum exempla sese componere, belloque sese subducere conabuntur. Quod si semel, iterumque & sæpius tandem contingeret, brevissimo temporis spatio totius procul dubio Helvetiorum *Reipubl.* interitus expectandus foret.

F

Undè

Undè deniquè politico admodum factò Helvetios Anabaptistas eiecisse inferimus, modum attamen expulsionisque tempus neutiquam approbantes.

## X L V.

Hæc de *Religionum* in societate discrepantiâ : cui tamen materiæ antequam finem imponam saluberrima duo observatque dignissima hoc loco prius observasse, nequaquam absolum existimo. Primum est, quod, ubicunque *Religionum* admittitur pluralitas, una semper, quam *Religionem status* nuncupant, inter cæteras omnes caput extollat, & maximè dominetur. Cum enim alia aut aliæ in Republ. vigeant professiones; *status Religioni* æquivalentes ferè, vix equidem minima sese obtulerit occasio, quin (ut enim ambitiosos suâ naturâ cæterisque dominandi cupidos comperimus mortales) *status Religioni* insidias struant, suamque priori suo deturbato folio, ejus loco substituere moliantur aliam, quam *status* professionem, amplectentes subditi. Quod incommodum itaque ut præcaveatur, prudentis æque ac sapientis magistratus est, summam suam in id collocare industriam, ne, plures in Republ. concedens *Religiones*, à suâ abhorrentium cæterarum omnium accretiones nimium promoveat, sed ut potius, cum vires nimis ingentes illas sumere animadvertat, easdem opprimat, ne tandem suæ nocere valeant *Religioni*. Alterum in Rebuspubl. observandum monitum est: quod non facilè imo vix mutanda sit *Religio status*; idque nonminùs ubi uniformis sacrorum cultus, quam ubi multifarius obtinet. Quemadmodum enim omnis mutatio suspecta semper malique habita fuit ominis, undè quoque politicorum natum est monitum: (c) *nihil facile in Republ. esse mutandum, quia omne publicum exemplum est fecundum, & si quid in unâ re factum, in cæteris exemplo agitur*, ità præcipuè hujus rei veritatem in *Religionis* permutatione confirmatam fuisse sexcenties compertum est. Exempla hujus veritatis nimis multa initio reformationis habuimus obvia, Quam cruentis & atrocibus bellis civilibus ex hoc unico, de quo loquimur, fonte deductis, quem admodum

(c) Boxhorn. Explic. Instit. Polit. lib. 1. Cap. 16.

dum multis aliis in locis, ita nominatim in *Galliâ* decertatum fit tamdiu, donec famoso illo edicto *Nannetensi* res compositæ fuerunt, satis superque orbi *Europea* notum est. Sed missis omnibus illis quæ aliquo abhinc tempore in Germania Belgio nostro pluribusque aliis contigere *Rebuspubl*, vel hodie ipsam Angliam, & quidem *Jacobum secundum*, testem hujus rei invocemus locuptetissimum. Ex quibus itaque omnibus inferimus, non temerè aut facilè quidpiam in *Religione* mutandum esse. Acuta sanè & recenseri digna sunt hominis cujusdam à verâ *Religione* remotissimi huc aurigantia verba: (d) *eos qui* (d) *Mæcen.*  
*in divinis aliquid innovant odio habe* & *coërce, non Deorum solum causa* apud Dio-  
*(quos tamen qui contemnit, nec aliud sanè quidpiam magnifecerit) sed* nem Caf-  
*quæ nova quadam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad* sium lib. 3.  
*mutationem rerum. Unde conjurationes, seditiones, conciliabula exi-*  
*stunt, res profectò minime conducibiles principatui. O aurea & magni-*  
*facienda monita! quæ utinam, sano sensu intellecta, & ho-*  
*diè ad animum vocarent factionibus nimis acriter inter sese*  
*dimicantes nostri reverendi Theologi! næ illæ Ecclesiæ pari-*  
*ter & Reipub. tandem quid mali portendunt.*

X L V I.

Ad alias multas nec ignobiles planè progredi exercitii hujus mei exposceret ratio. Verum enim vero, quandoquidem non volumen, sed tantum disputationem conscribendam suscepim, meque, utpote arctiori inclusum gyro, justæ disputationis limites & terminos jam dudum transiisse senserim, finem hîc loci Inaugurali meæ qualicunque Dissertationi imponere cogor.

F I N I S.

# A N N E X A.

## EX PHILOSOPHIÆ partibus præcipuis.

1. **P**hilosophia rectè dispescitur in Theoreticam & Practicam.
2. **E**aque cateris omnibus maximum affundit lumen disciplinis.
3. **I**n cognoscendo vero permagnum præjudicia esse impedimentum, neuiquam inficior.
4. **U**niversalem autem dubitationem esse contra illa remedium ipso morbo deterius longè, pariter adstruo.
5. **P**hilosophum sua Philosophemata ad S. Scripturam componere, non vere S. Scripturam ad sua torquere decet Philosophemata.
6. **U**ndè & absurdè haud minus quam impiè, rationi nostra non minorem, quam Revelationi adhibendam esse fidem, quidam statuunt.
7. **E**x objectorum diversitate disciplinarum differitas potissimum deducenda.
8. **P**erperam nihilominus, qua eodem materiali gaudent ojecto, à se invicem formaliter non esse distinctas quis contenderet.
9. **I**mperitè hinc nonnullos, Metaphysicam cum Logica confundentes, videas.
10. **N**ec minus ridiculos, qui illam ne quidem dari volunt, exclames.
11. **N**ullam inter ens nominale & participiale agnoscimus distinctionem.
12. **M**erito, quod nec prius aliquid præsupponit, nec quod per alterum, tamquam terminum medium, probari valet, ut & è quo conclusiones educi possunt, principii per se noti decoramus nomine.
13. **T**ale autem princeps salutamus: Impossibile est idem simul esse & non esse.
14. **D**eum posse contradictoria, contradictoria assertio est.
15. **F**alsitas, malitia, aut imperfectio in genere Metaphysico frustra queritur.
16. **C**laram & distinctam præceptionem in abstracto normam veritatis dici posse non nego.
17. **H**anc tamen in concreto, atque hinc in Philosophando, ullum habere usum, pernego.
18. **U**bi affectionibus entium simplicibus, neuiquam disjunctis annumero.

19. *Male Pneumatologia tanquam Metaphysicæ pars decantatur.*
20. *Angelos num natura adstruat, jure quis dubitet.*
21. *Deum vero existere tanto certius cum Noëticè, tum Dianoëticè, constat.*
22. *Hinc quoque, quid de Atheis speculativis dicendum, claret.*
23. *Quos tamen, si modo darentur, Cartesiana idea convincere nequaquam valide satis sunt.*
24. *Dei clarissimam & distinctissimam ideam non modo hand habemus, sed ne quidem habere possumus.*
25. *Independentiam omnium de Deo demonstrabilium basin collocamus.*
26. *Fallere posse Deum, absurde dicitur.*
27. *Haud minorem absurditatem incurrunt illi, qui Deum per essentialiam nullibi asserunt, quam qui eundem calis includunt.*
28. *Plures nequeunt dari Di.*
29. *Anima nostra ex traduce esse nequit.*
30. *Eandem post mortem superstitem fore verosimile facit illius immaterialitas, indubitatum Divina sanctitas & justitia.*
31. *Animam immaterialem esse perperam quis ex eo infert, quod de corpore dubitare possit, non vero de anima.*
32. *Nec minus absurde illa, tanquam ipsa cogitatio, obruditur.*
33. *Intellectus non est purè passivus.*
34. *Rerum obscuritatem ex mente, non vero ex rebus ipsis deduco.*
35. *Judicium ad intellectum refero.*
36. *Unde nec omnis assensus perceptioni oppositus statuendus est.*
37. *Habitu non errandi homines sibi in hoc rerum statu comparare posse, si modo velint, periculosa pariter ac falsa thesis est.*
38. *Ridiculum erroris remedium assignatur, ab omni judicio abstinentia.*
39. *Mutuam relationem anima & corporis respectu operationum nequaquam ipsam conficere unionem credimus, verum illam tantum hujus ponimus consequens.*
40. *Informis nulla datur materia.*
41. *In omnibus corporibus unam eandemquè statuo formam substantialem materialem.*
42. *Rerum omnium qualitates sese clarè perspectas habere gloriantes, jactantia insimulo.*
43. *Sed & qui omnium ferè rerum causas planè occultas statuunt,*


- ocultos quoque nuncupo Philosophos.
44. Male locus statuitur ipsum corpus.
  45. Tempus produci potest in indefinitum; actu vero unquam infinitum esse nequit.
  46. Motus non est de natura temporis.
  47. Physicè rotundam statuo terram.
  48. Unde & duas turres, ad perpendicularum quamvis erectas, fastigio, nihilominus à se invicem plusquam basi distare posse assero.
  49. Corporis gravitas frustra tribuitur globalis æthereis, in terram impingentibus.
  50. Minus benè particularum motus minimarum, prima & unica fluidi decantatur causa.
  51. Non quarumvis particularum, sed tantum ignearum motus calorem fundat.
  52. Ut nec quivis particularum ignearum motus, at verò solus ad lineam rectam, lumen producit.
  53. Nigredinem colorem proprie dictum non agnosco.
  54. Colorum diversitatis causam, corporum superficierum disparitatis adscribo.
  55. Sensus externi recte statuantur quinque.
  56. Omnes illos solo & unico motu absolvi pernego.
  57. Non emissione, verum radiorum luminis receptione peragitur visio.
  58. Quare rerum imagines, qua in oculi fundo inversa pinguntur, mens tamen rectas percipiat? quare geminus oculus geminum non representet menti objectum? cur corpus ardens in orbem actum annuli ignei referat speciem? explicatu perfacile est.
  59. Echo integras semper reddit voces.
  60. Sonum acutum in instrumentis musicis à celeri, & gravem à lentiore particularum motu derivo.
  61. In puram & mixtam bene dividitur Mathesis.
  62. Artis Mechanica instrumenta non incommode ad generalia tria capita vocari posse credo: vectem scil., trocleam & planum inclinatum.
  63. Libra vacua quamvis æquilibrantes sint, fraudulentæ attamen esse possunt.
  64. Astrologiam futilem ac ineptam judico.
  65. Astronomiam verò jucundam pariter atque utilem assero scientiam.
66. Cur

66. Cur quadam stella, ubi horizon obtinet obliquus, in uno diutius quam in altero commorentur hemispherio? facili negotio determinat Astronomia.
67. Minus accurate loca, vel minimum in ortum occasumve à se invicem recedentia, eodem meridiano gaudere perhibentur.
68. In ecclipsi lunari quandoque lunam una cum sole supra horizontem inspectam fuisse, neutiquam absurdum est.
69. Neque lunaris, nisi plenilunio, neque solaris nisi in novilunio contingere potest ecclipsis.
70. Stellam polarem in ipso polo consistere, atque tam primo quam secundo carere motu, plebeia est opinio.
71. Quà anni tempestate creatus sit mundus, in genere determinari nequit.
72. Dantur terricola quibus mensis die multo brevior est.
73. Ethicam dari, eamque à Theologia naturali distinctam in dubitatum existimo.
74. Regni moralis fundamentum unicum esse irresistibilem Dei potentiam impiè contendit Hobbes.
75. Virtutem moralem in voluntate, non in appetitu sensitivo locamus.
76. Quapropter nec in brutis illam cadere liquet.
77. Defensio sui licita est.
78. Duella nihilominus improbo.
79. Nulla in speciali casu actiones humane indifferentes sunt.
80. Ludos omnes semper & ubique malos esse non video.
81. An viro docto ducenda sit uxor. Probl.
82. Quanam sit optima regiminis forma in genere desiniri nequit.
83. Frustrà sunt, qui solam Monarchiam tyrannidi subjectam statuunt.
84. Facilius tamen illam, quam ullam aliam regiminis formam, in hanc degenerare posse non nego.
85. An liceat tyranno resistere? Affir.
86. Omnis princeps, qui contra leges fundamentales quidpiam agit, non statim tyrannus est habendus.
87. Fœmine ad imperium non videntur admittende.
88. An tortura in Republica laudanda sit, merito quis dubitet.
89. Num magistratus cuiuspiam delicti veniam dare possit? dist.
90. Asyla an licita sint? dist.
91. Fœdera inter Respublicas aeterna esse nequeunt.



92. *Bellum jure natura, gentium, & civili licitum statuo.*  
93. *An armis Turcarum & gentilium uti liceat in bello Republica Christiana? dist.*  
94. *An Imperatorem pugna interesse deceat? dist.*  
95. *An in bellis civilibus viro bono sese neutralem servare liceat? dist.*  
96. *An domestico an vero extero milite in bello uti praestet? dist.*  
97. *An feminis in bello parcendum sit? dist.*  
98. *Celebes quam uxoratos in castris habere milites satius est.*  
99. *Totius belli fortuna rarissime uni praelio committenda est.*

F I N I S.



A P P L A U S U S

*Subtilissimo Viro Juveni*

JACOBO DE VRIES,

PRO GRADU DOCTORATUS

E T

L. A. MAGISTERIO,

*Publice Disputanti.*

E C L O G A.

CORYDON. THYRSIS.



Um Mavors tragico clamore hunc perfonat Orbem  
Omnia dum lacrymis dumque omnia cladibus implet:  
Formosus Pastor *Corydon*, ad littora *Rheni*,  
Quâ fluit ac lambit *Trajecti* moenia fluctus,  
Securus residens, *Thyrsis* modulantis in umbrâ

Excipiens numeros, similes paribusque rependens,

Impavidus Martis spernebat bella tremenda.

Inflabat calamos *Corydon* modularier aptos,

*Thyrsis* & argutâ cantabat arundine versus.

Incepit *Corydon*; *Thyrsis* versusque regessit.

*Corydon.* *Thyrsi* age (sub viridi quoniam confedimus umbrâ)

Tu vitulos servans, læti qui prata pererrant,  
Dumque ego lanigeras Patris conservo bidentes,

G

Jun-

- Jungamus calamos ambo, pariterque canamus.
- Thyrsis.*] Non renuam cantus. Vobis si carmina præsto,  
 Alternis vicibus, *Corydon*, nunc cantet uterque:  
 Incipe tu versus, quoniam maturior ætas  
 Te magis edocuit, nos carmina vestra sequemur.
- Corydon.* *Dicite Piærides nova carmina, dicite Musæ.*  
 Dum *Thyrsis* calamos stimulat, versusque laceffat,  
 Et vocat ad pugnam in quâ me præcedere jussit.  
 Dum pugnam aggredior sævam cumque hoste timendo,  
 Ac pennata cohors jam cantat classica rostris;  
*Dicite Piærides nova carmina, dicite Musæ.*
- Thyrsis.* Quî, quos, quidve canam? rigidi certamina Martis  
 Enarrem? pavidis aut arma timenda Colonis?  
 Numve ut amica Venus dulces auferre triumphos  
 Suevit? pectoribus figat sua tela Cupido?  
*Hæcine Piærides nova carmina? sicine Musæ?*
- Corydon.* *Non ea sunt Thyrsi nostris nunc cantibus apta.*  
 Carmina rurivagæ Mavortia psallere cannæ  
 Sunt hebetesque nimis; nec nostris auribus iste  
 Cantus amatus erit; cecinitque hæc Maro celebris:  
 Et Naso Veneris cantavit blandus amores.  
*Non ea sunt Thyrsi nostris nunc cantibus apta.*
- Thyrsis.* Cantemus JACOBUM, magnâ comitante catervâ,  
 Qui Cathedram scandit; nunc ultima signa laboris  
 Omnibus hic retegens; nunc ultima præmia poscens:  
 Nos hujus laudes cantemus arundine dulci.  
*Sunt ea sunt Corydon nostris nunc cantibus apta.*
- Corydon.* Post vigilans studium, VRISI, post mille labores  
 Piæria lauro cingantur tempora vestra.
- Thyrsis.* Debita nunc genio vestro est. Tu percipe lætè  
 Fructus, quos semper te promeruisse juvabit.
- Corydon.* Te vidit quondam stupuitque caterva Studentum  
 Astrophilis junctum, genio super Æthra volantem.
- Thyrsis.* Te adspexitque olim stupuitque caterva Studentum  
 Abdita pandentem cunctis miracula Mundi.
- Corydon.* Te audivit nuper stupefacta corona Sophorum

- Naturam mentis manifestantem omine dextro.  
*Thyrsis.* Te nunc auscultat stupefacta corona Sophorum  
 Monstrantem quodque & Politiam pectore ferves.  
*Corydon.* VRISIUS edocuit te VRISI, tuque Magistri  
 Ingenio docili spiras vestigia docti.  
*Thyrsis.* LUYTSIUS instituit te VRISI tuque sagaci  
 Indole contendis sequier nunc JACOBE passus.  
*Corydon.* Fortibus atque bonis fortesque bonique creantur  
 Semper equis patrum simul est virtusque Juvencis.  
*Thyrsis.* Devius à recto nec tu nunc tramite aberras  
 Sed genium cunctis monstras JACOBE parentis.  
*Corydon.* O! te qui genuit, te quæ peperitque beati!  
 Tu decus es Patris VRISI tu gloria Matris.  
*Thyrsis.* Suntque soli Patrii felicia limina vestri!  
 Et muri qui te poterunt adscribere civeis.  
*Corydon.* Dum vitale mihi lumen DI cernere donant  
 Tibia te nostra & te fistula nostra sonabit  
*Thyrsis.* Aëria dum luce fruor, mens corpora juncta est  
 Tu nostro calamo nostro cantabere buxo.  
*Corydon.* Qui velit JACOBO meritas persolvere honores  
 Tondeat is porcos, vulpesque ad pascua ducat.  
*Thyrsis.* Nititur & VRISI dignas qui dicere laudes.  
 Colligat à raucis redolentia mella cicadis.  
*Corydon.* Desine, jam *Thyrsi*, jam desere carmina *Thyrsi*,  
 Non nostrum VRISI meritis persolvere cantu.  
*Thyrsis.* Sunt ea carminibus *Corydon* nimis ardua nostris,  
 Phæbus eum cantet, celebrent Phæbique sorores.

# Op den Zelfen.



O raakt m' op 't laatst, door wetenschap, verstand,  
En deugd, ten top der opperste eere-trappen:  
Zo werd m' op 't laatst tot steunpylaar van 't land  
Endiend tot middel voor 't verval der wetenschappen.

Zo volgde de Vries DE VRIES in 't wijsbejds spoor,  
Zo treed hy na de stappen van zijn Vader:  
Zo gaat hy my en al zijn makkers voor  
Die hem naarooogen; en graag volgden schoon wat spader.

Vaar zo maar voord o Utrechts pronk-sieraad,  
Wil steeds in deugd en in geleerdheid groeyen:  
Verstrek op 't laatst tot stut voor Kerk en Staat;  
Zo zal uw lof en naam nog na veel eeuwen bloeyen.

Sic Balbutivit

FRANCISCUS VAN BERGEN  
gezegd MONTANUS

Ph. & J. U. Stud.